



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum  
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut  
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &  
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis  
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

Tractatus XXIV. Et Disputatio vnica, De Suffragiis, Indulgentiis, & Iubilæo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)





## TRACTATUS XXIV.

E T

DISPUTATIO VNICA  
DE SVFFRAGIIS,

Indulgentiis, &amp; Iubileo.

P V N C T V M I.

De suffragiis, quæ in fidelium viuorum, & defun-  
ctorum fauorem præstari possunt.

**S**VFFRAGIVM, spectato rigore lingue  
Latinæ, est quædam authentica signi-  
ficatio voluntatis, tum in creandis Ma-  
gistratibus, tum in reo iudicando, tum  
in lite decidenda, & similibus, iuxta il-  
lud Cicer. 3. de legib. *Suffragia in Magi-*  
*stratu mandando, aut etiam de reo iudi-*  
*cando palam fieri melius esset.* At, quia

hæc significatio voluntatis plerumque vtilis esse solet ei, pro  
quo fit. Theologi cum D. Thom. in 4. dist. 45. suffragium ap-  
pellantur auxilium, & fauorem, quem aliis fidelibus nostris  
bonis operibus impendimus. Videndum igitur, qualiter, tum  
viventibus, tum defunctis, suffragari possimus, & quæ condi-  
tiones ad prædicta suffragia requirantur.

§. I.

Qualiter nostris bonis operibus possimus fidelibus  
viventibus suffragari.

1. Triplicem qualitatem satisfactionis, impetrationis, & meriti  
nostra bona opera habent.
2. Impetratio nobis, & aliis prodest.
3. Meritum alteri applicari non potest.
4. An satisfactio aliis prodest, proponitur dubitandi ratio.
5. Afferitur, nostras satisfactiones aliis prodesse.
6. Soluitur ratio dubitandi n. 4. ad huc.
7. An efficaciter & infallibiliter aliis prodest nostra satisfactio.  
Negant plures.
8. Rectius alij affirmant.
9. Opposita rationes dissoluntur.

1. **P**onendum est, quod sæpè est repetitum, postea bona  
opera triplicem qualitatem habere, impetrationis, sa-  
tisfactionis, & meriti.

2. Qua parte impetrationem habent, non solum nobis,  
sed etiam aliis, saltem de congruo, profunt vt manifestè  
colligitur ex illo ad Rom. 15. *Obsecro vos Fratres, vt adiuue-*  
*ris me in orationibus pro me à Deo. & Iacobi 5. Orate pro*  
*inuitem vt saluemini.* Quinimò ad hanc impetrationem non  
est necessarium, vt speciali intentione velis alteri tuis bo-  
nis operibus beneficium impetrare: sæpè enim benignis-  
simus Dominus ob merita alicuius Sancti aliis dona non  
mediocriter concedit. Cum enim omnes fideles in charitate  
existentes sint vnus corporis membra. Christo Capiti  
vnita, communicationem inter se habere debent, & vnus  
operationes aliis omnibus deseruire: sicuti in humano cor-  
pore videre licet, vbi quodlibet membrum viuum, non solum  
sibi, sed etiam aliis operatur. Quod ita certum est, vt fide di-  
uina teneamur credere, hanc Sanctorum communionem, seu  
communicationem.

3. At, qua parte nostra bona opera meritoria sunt grati-  
æ, & gloriæ, solis ea operantibus prodesse possunt. Nemini  
caum datum est, vt sua merita aliis applicare possit: esset enim

alienum à charitate, alteri applicare, quo ipse indiget. Præter-  
quam quòd ius ad gloriam concedi non potest alicui, gratia, &  
satisfactio. Sanctitas autem non alienis operibus, sed pro-  
priis comparari debet. Non igitur nostra merita applicari alteri  
possunt, vt tradit S. Thom. ab omnibus receptus in 4. dist.  
45. q. 2. art. 1. quæstione 4.

4. Quapropter præsens controversia solum est de nostris  
bonis operibus, qua parte satisfactoria sunt: an, inquam, aliis  
fidelibus applicata illis profunt ad pœnæ pro peccatis debitæ  
remissionem, sicuti nobis indigentibus profunt? Videri potest  
alicui hoc impossibile. Primò, quia obligatio satisfaciendi est  
debitum personale, vt pote propria culpa, & non aliena con-  
tractum. Ergo aliena satisfactio remitti non potest; sicuti  
non potest remitti culpa, ex qua debitum illud nascitur. Et  
forè ob hanc causam dixit Paul. 2. ad Corinth. 5. *Vnusquisque*  
*recipiet, prout gessit in corpore. & ad Galat. 6. Vnusquisque onus*  
*suum portabit.* Secundò, nemo potest alteri meriti gratia, &  
gloriæ augmentum: ergo neque pœnæ debitæ remissionem,  
qua ad gloriam proximè disponitur, & preparatur. Tertio,  
quia nullus est locus Scripture, aut Conciliorum, ex quo man-  
ifestè colligitur, satisfactionem nostrorum operum aliis fide-  
libus applicari: omnia enim testimonia, quæ adducuntur, nihil  
aliud probant, quam nostra bona opera aliis fidelibus prodesse,  
quod ex merito de congruo, & per modum impetrationis  
sufficenter intelligi potest, idè quod non desuit, qui diceret, ob  
nostra bona opera aliis applicata excitari Deum ad concedendam  
eis pœnaram remissionem liberalem tam, et si satisfactio  
bonis operibus inhærens illis applicata non fuerit, neque  
applicari possit.

5. Cæterum pro certo tenendum est, nostras satisfactio-  
nes aliis applicari posse, tanquam pretium sufficiens, quo pœ-  
næ debitæ remittuntur. Sic D. Thom. quem ferè omnes sequun-  
tur, in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 2. q. 3. & d. 45. quæst. 2. art. 1. Bona-  
nauent. Duran. Palud. Richard. Alenf. & alij, quos referunt, &  
sequuntur. Nauarr. tract. de Indulgent. notab. 13. per totum, & no-  
tab. 22. num. 8. & 19. Couarr. cap. Alma mater. 1. p. §. 4. n. 7. Bel-  
larm. lib. 1. de Indulgent. cap. 2. Suar. tom. 4. in 3. part. dist. 48. de  
suffrag. sect. 2. nu. 4. Coninch. dist. 10. dub. 7. n. 53. & dist. 11. dub.  
1. & 7. Bonac. dist. 6. de suffrag. quæst. 2. part. 1. in princ. Ratio ea  
est: quia negari non potest, potuisse Deum vnus cuius satisfactio-  
nes pro alio oblatas acceptare in remissionem pœnæ pro il-  
lius peccatis debitæ, sicuti acceptat propriam cuiusque satisfac-  
tionem in remissionem propriorum peccatorum, quam  
nullatenus acceptare tenebatur. sed poterat Deus, non obstant-  
te qualibet satisfactioe exhibitæ, nos punire, prout sibi placitum  
esset: quia peccati grauitas est infinita, nullaque huma-  
na satisfactioe delectibilis. At remissa culpa, & pœna æterna in  
temporalem commutata, contentusque humana satisfactioe  
pro illius remissione, eo ipso, quo satisfactio condigna exhibe-  
atur, debita est pœnæ remissio: quia fit solutio debiti, iuxta  
Dei creditoris voluntatem. Quòd autem Deus vnus pro alio  
satisfactiones acceptet, probat communis Ecclesiæ sensus:  
omnes enim credunt, vnum pro alio satisfacere posse: quòd  
verum non esset ob solam impetrationem liberalis remissio-  
nis, nisi adesset debiti condigna solutio. Præterquam quòd ex  
lege ordinaria nemo potest remissionem gratuitam impetra-  
re: si enim sibi impetrare non potest, à fortiori neque alteri,  
præcipue cum rationi dissouum sit velle remissionem gratui-  
tam debiti ex iustitia, qui habet, vnde soluat. Neque Christus  
Dominus eam remissionem obtinuit, sed satisfactioes super-  
abundantes Deo obtulit, ex quibus, tanquam ex pretio, solu-  
tioneque



etoneque sufficienti, per Pontificem applicatis in Indulgentiarum concessione, tum in Sacramentorum ministrante, & Sacrificio nobis debitum peccatum remitteretur. Deinde omnes Sancti inter se communicant, vel vnius corporis membra: ergo habent omnem communicationem possibilem: ergo communicant in satisfactionibus, quippe hæc communicatio nullum habet inconueniens: sed potius maximè expedit, ut pote quæ mutuum amorem, & charitatem auget: ergo assensenda est. Tandem Sanctorum satisfactiones superabundantes in Ecclesiæ thesauro repositæ per Pontificem applicantur fidelibus in suorum peccatorum remissionem. Ergo eandem poterunt Sancti fidelibus applicare, tempore, quo præstabantur, & sub suo dominio erant: siquidem ob defectum huius applicationis ex benignitate Dei in thesauro Ecclesiæ repositæ fuerunt, nec petirent.

6. Argumenta verò opposita sententiæ nullius sunt momenti. Ad primum fateor, debitum pœnæ personale esse; ideoque tolli non posse, nisi per condignam debitoris satisfactionem, vel creditoris remissionem. At benignissimus Deus, sicuti contentus est satisfactione debitoris alias debita, contentus etiam est satisfactione aliena in fauorem debitoris oblata, in quo Dei benignitas, & misericordia elucet. At remissionem culpæ concedere ob aliena opera, nec diuinam bonitatem decebat, nec peccatori erat expediens. Cùm enim per propriam voluntatem se à Deo auerterit; expeditat non aliena, sed propria voluntate cõuertere. Testimonia verò Pauli ad Corinth. & ad Galat. de sententiâ Iudicij extremi loquuntur, in quo vniquique portabit, & soluet, prout in hac vita gessit. Quod diuinitus est à nostro instituto. Ad secundum respondeo, esse laetum dilectum de remissione pœnæ temporalis: esse peccatis relictæ, & de merito gratiæ, & gloriæ: hoc enim propriis operibus expediebat comparari, cùm sit intrinseca, & supernaturalis hominis renouatio: at remissio pœnæ, cùm à solo Deo creditore faciendâ sit, neque reddat hominem sanctiorem mirum non est, quòd alienis operibus, tamquam pretio, & solutione sufficienti comparetur. Ad tertium dico, esse nullo textu Scripturæ, & Conciliorum manifestè probetur hæc Sanctorum communio in satisfactionibus: probatur tamen, communis fidelium consensu, sub communione Sanctorum contineri, ut pote possibilem, & fidelibus conuenientem, diuinæque bonitati, & misericordiæ conformem.

7. Superest tamen difficultas, an hæc applicatio efficax sit; & infallibiliter effectum habeat. Star enim optimè, Deum nunquam remittere pœnam pro peccatis debitam, nisi ipse peccator condignè in Purgatorio satisfaciatur, vel in hac vita sufficientem satisfactionem exhibeat, vel alius iustus propriam satisfactionem illi donet, sub hac tamen differentia, quòd satisfactionem vnius cuiusque pro se factam promittit acceptare semper: pro alio verò oblatam, quando sibi placitum fuerit. Quòsupposito, esto, vnius iustus suas alteri satisfactiones applicet, non inde inferatur, ei de facto applicari, quia non est certum, & infallibile à Deo acceptas haberi: cùm verò Deus illas acceptas habet, non gratis, & liberaliter pœnam remittit, sed ob condignam solutionem.

Quòd verò Deus se ita gerat, càmque legem statuerit in remissione pœnarum, & satisfactionum communicatione docuit. Medin. tract. 3. de satisfact. quest. 2. & 3. Cord. lib. 4. de indulgent. quest. 5. ad 8. Bonac. disp. 6. quest. 2. p. 1. in fin. inclin. Coninch. disp. 10. nu. 59. dub. 7. Et probari potest primò ex differentia que operatur in Scriptura sacra, inter propriam, & alienam satisfactionem: nam de propria satisfactione passim est facta promissio acceptationis, ut colligitur ex illo Tob. 12. Eleemosyna liberat à morte, & purgat peccata. Dan. 4. Peccata tua elemosynis redime. 2. Paral. 33. Manasses per penitentiam impetravit relaxationem à captiuitate. Et clariss. Paul. 1. Corinth. 11. dixit, non esse iudicandos, qui se ipsos iudicant, id est, puniendos non esse ob sua peccata, qui se in hac vita puniunt. Et 2. ad Corinth. 7. asserit, tristitiam secundum Deum operari salutem, & vindictam: quia vindicat peccata, quæ commisitimus. At de remissione pœnæ ob alienam satisfactionem, nulla ostenditur acceptationis promissio: ergo referenda est diuino beneplacito. Secundò, cùm nostras orationes pro aliis fundimus, non infallibiliter postulatum impetramus: quia nulla adest huius concessoris promissio. Ergo idem dicendum est de satisfactione pro alio oblata. Tertio, diuinus honor læsus per peccatum humilitatione propria, & vindicta in proprio corpore sumpta quodammodo reparatur, sed non sic aliena humilitatione, & vindicta: ergo mirum non est, quòd propria satisfactio infallibiliter acceptatur: secus verò aliena.

8. Cæterum, alienam satisfactionem, sicut & propriam, infallibiliter acceptari, testis docuit D. Th. 3. contra Gentes, c. 118. ubi dicitur: *Sicut per se ipsum, ita & per alium, potest aliquis satisfacere Deo*. Et paulò inferius: *Affectio charitatis in eo, qui pro amico patitur, facit magis satisfactionem Deo acceptam, quam si ipse pateretur*. Si autem oblatam pro amico satisfactionem repellere Deus potest, manifestum est, non esse Deo acceptam aquò, ac si ipse pateretur. Et Pius V. in Catechismo, vbi de penitentia n. 62. inquit: *Qui diuina gratia præditi sunt, alterius nomine*

possunt, quòd Deo debetur per solvere: quare fit, ut quodam patre alterius onera portare videatur. Et concludit: *Nec verò de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo SS. Communionem profitemur*. At non possunt Deo persolvere, si ipse Deus solutionem acceptare non tenetur: ergo ex sententiâ D. Thom. & Pij V. obligatus est Deus satisfactionem alienam, æque ac propriam, acceptare. Et ita late probat Suar. disp. 48. sect. 3. à n. 3. & nos breuiter diximus tract. de penit. pun. vlt. de satisfact. §. 1. Ratio est: quia ex suppositione; quòd Sancti in satisfactionibus communicant, & vnius satisfactiones aliis proficiunt, ut omnes Catholici fatentur, immeritò, & absque fundamento asseritur, hæc communicationem non esse firmam & continuam; sed solum aliquando, & raro pro diuinæ voluntatis libero beneplacito: hæc enim restrictio nec charitatem fouet, sed diminuit; nec diuinam liberalitatem, & misericordiam commendat, sed coarctat; & nullum in Scriptura, neque in aliquo Concilio, aut Sancto, illius apparet vestigium, quòd amplius constabit ex oppositorum solutione. Ergo, &c.

9. Ad primum fateor, clariora esse in Scriptura testimonia pro acceptatione satisfactionis propriæ, quàm aliene, ideoque certius esse, satisfactionem propriam acceptari. At non desunt testimonia Scripturæ, quæ alienam satisfactionem acceptari indicent, ut est Pauli 1. ad Corinth. 2. *Aduuantibus vobis in oratione pro nobis, ut ex multis personis eius quæ in nobis est, donationis per multos gratia agatur pro nobis*. Quæ verba, ut expendit Chrylost. non solum de impetratione donorum, sed de venia, & remissione intelligi debet. Ad idem est 2. ad Corinth. 2. *Cui aliquid donastis, & ego. Nam & ego, quòd donasti, si quid donasti propter vos, &c.* Et quamuis nullus esset Scripturæ locus ex quo id conuinci possit, sufficit communis fidelium consensus, satisfactiones vnius aliis prodesse, & cùm non possit probari non prodesse, infallibiliter affirmandum est infallibiliter prodesse. Præterquam quòd testimonia adducta de propria satisfactione, nisi infallibilem acceptationem non ostendunt, sed eo ipso, quò satisfactio ad remittenda peccata, & pœnas debitas consulitur, inferitur infallibiliter ad prædictum effectum prodesse: at sæpè Ecclesia consultat fideles, ut se inuicem in satisfactione peccatorum adiuuent, restantque alienas satisfactiones, ut proprias, prodesse. Ergo dicendum est, prodesse infallibiliter. Ad secundum neganda est consequentia ob discrimen impetrationis à satisfactione: impetratio enim non nititur operis dignitati, sed Dei liberalitati, & benignitati, & ab homine peccatore fieri potest: idè mirum non est, quòd effectum habeat infallibilem: sicuti neque habet oratio, quam quisque pro se offert. At satisfactio ab homine iusto, & Deo grato necessarid exhibetur: estque debiti condigna solutio: admitti ergo infallibiliter debet. Tertium argumentum solum probat, aptius propriam satisfactionem admitti, quàm alienam, sed eum vtraque admittatur ex diuina misericordia vtraque infallibiliter admittitur.

§. II.

Qualiter defunctis possimus nostris bonis operibus suffragari.

1. Fide certum est, defunctos nostris bonis operibus iuuari posse.
2. Debent tamen in Purgatorio existere: nam Beatiss. solum ad extrinsecum honorem prodesse possunt.
3. Damnatis nullo modo.
4. Neque animabus in Limbo existentibus.
5. Sed solum existentibus in Purgatorio.
6. Prosumt predictis nostra suffragia quoad satisfactionem.
7. Negant plures infallibiliter prodesse.
8. Verius est oppositum.
9. Fit satis opposita rationi.
10. Probat, nostris orationibus impetrari posse defunctis liberalem pœnæ remissionem.
11. Verius est oppositum.
12. Argumenta in contrarium dissoluntur.

**F**ide tenendum est, nostris bonis operibus defunctos iuuari posse. Etenim, cùm ipsi nobiscum communionem habeant, ut pote membra vnius corporis sub vno capite Christo existentia eorum onera portare poterimus, iuxta Ecclesiæ perpetuam traditionem, & praxim à Patribus, & Conciliis probatam, & manifestè declaratam. 2. Machab. 12. *Sancta & salubris cogitatio est pro defunctis orare, ut à peccatis soluantur*. De qua re videri possunt Bellarm. lib. 1. de Purgat. cap. 1. Canisius in Catechismo, de Euchar. c. 7. & tit. de penit. cap. de Purgat. Suar. tom. 4. in 3. part. disp. 48. sect. 4. & seqq.

2. Defuncti autem, quibus nostra suffragia prodesse possunt, sunt, solum in Purgatorio existunt. Nam Beatiss. neque ad remissionem, neque ad impetrationem nostra suffragia possunt deferri, ut dixit Augul. *varis in locis, præcipue in Eucharid.*



*Enchirid. cap. 109. & de cura pro mortuis agenda c. 1. & tract. 84. in Ioan. & serm. 34. de verbis Apost. & Innocent. in c. Cum Martha. §. ult. de celebrat. Missar. Non enim illis suffragari possumus ad remissionem, cum nihil emittendum habeant; neque etiam ad impetrationem, cum nihil boni ipsis impetrare possimus: possident enim Deum, bonorum omnium cumulum. Neque his obstat, quod in oblatione sacrificij postulemus, ut ipsis proficit ad honorem, & gloriam: quia non est intelligendum de honore, & gloria Sanctis intrinseca; sed de gloria, & honore à nobis exhibito, & qui in nobis est, & in nostram utilitatem cedit, tamen inde aliquod gaudium, & lætitiā Sancti concipiunt.*

3. Deinde damnatis nullatenus prodesse possunt nostra suffragia, non solum, ut à pena liberentur, sed neque, ut in ea aliquam mitigationem, aut remissionem habeant. Tum, quia sunt in statu peccati, à quo nunquam recedent, ac proinde incapaces, & indigni, ut in pena pro peccatis debita leuentur. Tum, quia, si nostris bonis operibus possemus aliquam penam leuare, cum hæc finitæ sint; tot multipliciter suffragia poterunt, ut tandem finirentur: quod est contra legem à Deo statutam de penarum æternitate, quam passim Scriptura edocet: ita ut in ea nec minima remissio fiat, iuxta illud Apocal. 10. *Fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum, neque habet requiem die, ac nocte.* Idemque diuiti illi auaro, *Luc. 16* perenti ab Abraham minimum refrigerium suæ linguæ, illud concessum non est. Et certè si possibile esset nostris orationibus illis refrigerium aliquod penarum impetrare; possemus ad hunc finem nostras orationes pro damnatis fundere: quod est contra præceptum Ecclesiæ prohibentis pro his orare, ut constat ex Concil. Tribur. c. 31. & Bracar. relato in c. *Placuit. 23. q. 5. & ex cap. Non astimamus. cap. Cum graua. c. Pro obuentibus. & aliis 13. quæst. 3.* Neque his obstat August. in *Enchirid. c. 110.* dicens: *Quibus nostra suffragia profunt, ad hoc profunt, ut sit plenam remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Non enim de damnatis ad Infernum loquitur; sed de damnatis ad Purgatorium, quibus nostra suffragia aliquando plenam remissionem obtinent, aliquando verò sola diminutionem. Eodemque modo intelligendus est Innocent. III. in cap. *Cum Martha de celeb. Miss.* inquirens, esse aliquos mediocriter bonos, quibus nostra suffragia profunt ad explicationem, aliquos mediocriter malos, quibus profunt ad propitiationem: cum enim in Purgatorio esse possint aliqui, qui minimo reatu penæ, & non culpæ, teneantur, his tanquam mediocriter bonis, nostra suffragia expiationes sunt. At, cum alij esse possint, qui ultra debitum penarum ingens, cum aliqua culpa veniali ex hac vita decesserint, ij, & mediocriter mali dici possunt, illisque propitiationes erunt nostra suffragia. Damnatis ergo, qui valde mali sunt, nunquam etiam in minimo nostra suffragia proderunt.

Cum hoc tamen fiat, quod potuerit Deus ex sua potentia absoluta in hac lege dispensare: quia id implicationem non inuoluit: an verò aliquando hæc dispensatio facta sit, incertum est. Probabilis apparet, & prouidentia, iustitiæque diuinæ conuenientia, ut nunquam facta fuerit. Nam historia illa referens, precibus S. Gregorij Trajanum liberatum esse ab Inferno, & Macarium pro damnatis orasse, commentitia est, ut bene notauit Bellarm. *lib. de Scriptorib. Ecclesiast. in Damas. Valen. disp. 11. q. 1. pun. 3. in fine.* Coninch. disp. 11. *dub. 8. in fin. Suar. disp. 48. sect. 4. n. 13.*

4. Præterea animabus in Limbo existentibus nullatenus suffragari possumus. Nam, vel decesserunt cum solo originali, & tunc non habent penam sensus, pro qua soluenda nostras possumus satisfactionem offerre. Penam autem damni, quæ in priuatione visionis Dei consistit, irremissibiliter pati debent. Si verò ultra originale peccato aliquo veniali tantum affectæ sint, quod vix est possibile, ratione peccati originalis, quo à gratia Dei sunt exclusi, redduntur incapaces cuiusuis remissionis, ac proinde reputandi sunt valde mali, quibus, ut dixit Innocent, suffragia non profunt.

5. Restat ergo, ut solum animabus in Purgatorio existentibus nostra profunt suffragia, ut designauit Trident. *sess. 25. decreto 1. ibi: Animas in Purgatorio detentas, fidelium suffragiis, potissimum verò Altaris sacrificio iuuari.* Omnes tamen iuantur, si pro omnibus indifferenter suffragia offerantur, quia omnes indigent, & capaces sunt, & donatio generalis est. Sed non æque omnibus profunt, ac si pro singulis oblata essent, quia, cum habeant valorem limitatum, & finitum, quod plurius communicantur, eod. minus singulis competit, ut notauit Suar. *disp. 48. sect. 6. n. 8.* Coninch. *disp. 11. in fine.*

6. Superest dicendum, qualiter nostra suffragia prædictis animabus profint. Et quidem certum esse debet, prodesse quoad satisfactionem: nam cum ipse hæc satisfactio indigeant, nobisque in charitate vitæ sint, nobiscumque vnum corpus componant; expedit, ut quoad fieri possit, nostris bonis operibus iuentur: si enim viuis, qui minus indigent, possumus nostras satisfactiones communicare, & virtute illarum penarum, quas pro peccatis debent, exoluere: à fortiori hoc benefi-

cum animabus Purgatorij præstare poterimus, & ita est Ecclesiæ vniuersalis consensus.

7. Difficultas autem est, an infallibiliter profint iis, pro quibus offeruntur? Negant Med. Cordub. Layman. Bonac. Coninch. *præced. §. relati*: æqualiter enim de viuis, & defunctis loquuntur, quibus annumerari potest Caietan. *2. 1. Opus. tract. 16. quæst. 5.* Sotus in *4. disp. 19. qu. 2. art. 4. & l. 3. de natura & gratia. c. 6.* Canus *l. 12. de locis. c. 13. ad 9.* alij. Fundantur: quia sine promissione diuina nequeunt infallibilem effectum habere: aut nullo firmo testimonio ostendi potest hæc promissio. Quinimò satis indicatur, non adesse: siquidem Ecclesiæ orat Deum, ut prædictas satisfactioes acceptas habeat: quod frustra videretur factum, si ipse Deus obligatus esset.

8. Nihilominus longè verius existimo, nostras satisfactioes, infallibiliter applicari iis, pro quibus offeruntur. Sic Diuus Thom. in *disp. 45. qu. 2. art. 1. q. 2. Couar. c. Alma. 1. part. §. 4. n. 7.* Sotus sententiam mutans *disp. 21. quæst. 2. art. 3.* Nauar. *de Iubileo. notab. 18. & lib. de orat. & hor. Canon. capit. 20. n. 82.* Suar. alijs relatis *disp. 48. sect. 6. n. 4.* F enim lex diuine iustitiæ, & misericordiæ ita taxat remissa culpa penam in Purgatorio luendam, ut possit quis bonis operibus condignè, & ad æqualitatem in hac vita satisfacere, non solum pro debito proprio: sed etiam alieno, si in alieni satisfactioem ea opera exhibeat. At in satisfactioem proprii debiti infallibilem habent effectum: quod aliunde efficaciter colligi non potest, nisi quia ex lege diuina sic declarata per communem Ecclesiæ sensum in proprii debiti satisfactioem profunt. Cum ergo ex eadem lege Ecclesiæ sensu comprobata, nostra opera alijs fidelibus, tam viuis, quam defunctis, quibus in charitate sumus vni, profint; effectiuè, omnibus efficaciter, & infallibiliter prodesse. Deinde omnes Catholici fatentur, nostras satisfactioes in defunctorum fauorem oblatas defunctis prodesse. At, si Deus non teneretur illas acceptare, sapissimè nullius illis essent vtilitatis. Præterea satisfactioes superabundantes Sanctorum efficaciter Pontifex applicat, cum Indulgentias concedit: ergo etiam quilibet particularis proprias satisfactioes illis applicare efficaciter poterit, antequam in thesauro Ecclesiæ reponantur: nam pro tunc efficacius sub eius sunt dispositione, quam thesaurus sub dispositione Pontificis. Item ex hac infallibili acceptatione nullum inuenientis sequitur, sed potius ad illam aduertendam plurimæ congruentiæ adfunt: quippe fideles excitantur ad charitatis exercitium, scientes vtiliter in fauorem defunctorum laborare, defuncti subueniuntur in grauissima necessitate: Deus suam liberalitatem & misericordiam ostendit abque vlla rigorosæ iustitiæ diminutione, quandoquidem non gratis, sed solutione condigna penam pro peccatis debitam remittit.

9. Neque obstat ratio contraria: nam esto, diuina promissio de acceptanda satisfactioe viuorum pro defunctis, aliquo scripto testimonio ostendi expressè non possit, colligitur tamen efficaciter ex communi sensu fidelium credentem, viuos cum defunctis communicationem possibilem habere, seque in necessitatibus succurere. Cui communicationi infallibilis non obstat, quod petamus à Deo, ut nostra suffragia accepta habeat: quia optimè id petere possumus, dum incerti sumus an omnem qualitatem habeant exquisitam, ut infallibiliter à Deo acceptentur. Adde esto nobis constare, suffragia nostra satisfactoria esse, Deumque ipsum infallibiliter acceptaturum; adhuc possemus ipsum rogare, ut acceptet, non ob necessitatem, ut acceptentur; sed in recognitionem gratiæ, quæ adest in illorum acceptatione. Cum enim illa opera ex se soluere non possent penam pro peccatis debitam, sed necessitudo indigerent libera Dei promissione, & acceptatione, petendo hanc acceptationem, ea gratia, & Dei liberalitas recognoscitur. Et forrè in hoc sensu intelligi debent illæ Ecclesiæ orationes, quibus à Deo postulat, ne animas Purgatorij absorbeat Tartarus, ne cadant in obcurum, &c. cum tamen certum sit, in Purgatorio existentibus à Tartaro absorberi non posse: recognoscitur enim hac petitione, id ex Dei liberalitate processisse, & simul pia voluntas, & affectus in animas Purgatorij ostenditur, ut bene notauit Suar. *disp. 48. sect. 8. n. 5.*

10. Rursus alio modo, quam solutione, & satisfactioe exhibitæ, videntur animæ Purgatorij iuari posse, nempe, nostris orationibus, & petitionibus, non quatenus satisfactoriæ sunt, sed quatenus sunt impetratoriæ, ita ut vi illarum impetretur remissio penæ nulla satisfactioe exhibitæ, atque adde gratis, & liberaliter, non quidem semper, sed quando diuinæ prouidentia placitum fuerit: quod cõmune est omnibus orationibus, & petitionibus, præcipuè quæ in fauorem aliorum sunt. Sic docuit Durand. in *4. disp. 41. alijs 45. q. 1. n. 6.* Caiet. *1. Opus. tr. 16. qu. 5.* Nauar. *de Iubilo. notab. 22. n. 15.* Bellarm. *l. 2. de Purgat. c. 16.* Agid. de Coninch. *disp. 11. dub. 7. conc. 4. n. 54.* & alij. Mouentur primò: quia in humanis plerumque rogatur Index potens condignam penam à reo exigere, ut gratia remissionem faciat: neque alienum est à iustitia vindictiua, quam seruare tenetur, ut aliquod ob virgentem intercessionem aliquod penæ gratis remittat. Ergo respectu Dei efficacius ea inter-



cessio fieri potest, cum ipse supremus Dominus sit nemini subiectus. Secundo, Ecclesia excitat nos, ut nixi Christi, & Sactorum satisfactionibus postulemus à Deo, ut defunctis remissionem penarum concedat, ut collat ex illis orationibus ab Ecclesia institutis, *Fidelium Deus. Animabus famulorū*, &c. Neque satisfaciatis, si dicas, Ecclesiam excitare nos ad prædictam postulationem, quia ea postulatio satisfactoria est. Nam, si ob solam satisfactionem, quæ in ea oratione imbitur, vellet Ecclesia nos pro defunctis orare, efficacitatis eam satisfactionem obtinere applicata satisfactione orationis, quæ unusquisque pro se ipso faceret, quæ fructu impetrationis non defraudaretur, sicuti defraudatur oratio pro defunctis. Ergo ad orandum pro defunctis nunquam Ecclesia apertè excitaret quod est absurdum. Tertio, communis est Ecclesie sensus, orationes publicas Ecclesie pro defunctis exhibitas, etiam à malo ministro, effectum habere. At neque ut habere effectum satisfactionis, cum Ecclesia secundum se non satisfaciatis: quatenus verò per iniquum ministrum operatur, minus satisfaciatis potest. Superest ergo, ut solam effectum impetrationis habeant, atque adeo obtineant penam debitam liberalem remissionem. Quarto, Beati pro animabus Purgatorij intercedunt, ut constat ex illa Ecclesie oratione: *Omnipotens sempiterna Deus qui vivorum dominaris*, &c. at eorum orationes satisfactorie non sunt: ergo solum sunt impetratorie: ergo impetrant penam remissionem. Quod si dicas, non impetrare immediatam remissionem, sed impetrare, ut viuentes satisfaciatis, vel Pontifex indulgentias applicet, quæ satisfactio, ne vel indulgentiarum concessione postea remissio obtineatur; oblat, quia eam satisfactio, & applicatione petere debent, non remissionem, pro nobis potius debent rogare, ut ad satisfaciendum pro defunctis excitaremur, quam rogare, ut defunctis penam debitam remitterentur, cum id sit impossibile, scilicet viuentium satisfactio, vel indulgentiarum applicatione: & his positis infallibilis sit ea remissio. Verum, si secundò respondeas, Sanctos orando pro defunctis applicare simul aliquam satisfactioem superaddantem ex suis operibus in hac vita gestis, & in thesauro Ecclesie repositam, oblat: quia distributio thesauri Ecclesie soli Petro, eiusque successoribus concessa est: neque verisimile apparet, Christum Dominum eam potestatem alicui Sancto concessisse. Præterea ipsa Ecclesia eam remissionem expostulat: cum tamen illi datum non sit thesaurum Ecclesie dispensare. Quarto, hanc penarum remissionem petimus, tum per infinitam Dei misericordiam, tum per merita Christi Domini, quæ indicant, nos gratuitam remissionem postulare: nam facta condigna solutione penarum, remissio non est opus misericordie, sed iustitiæ: neque ad eam faciendum necessarium esset Christi merita ante oculos æterni Patris proponere. Quinto, quia communiter Doctores distinguunt quatuor genera suffragiorum, iuxta textum in *cap. Anima. 13. quest. 2. ubi: Anima defunctorum quatuor modis solvantur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum elemosynis, aut ieiunio cognatorum: oblationes autem Sacerdotum effectum habent ex opere operato: ieiunio, & elemosynis effectus satisfactorius concedendus est; Sanctorum precibus impetratio. Si enim hunc effectum non haberent, ut quid ab aliis operibus satisfactoriis distinguuntur? Sexto, prædictis defunctis impetrant Sancti speciale gaudium, & consolationem in penis sustinentis: ergo etiam impetrare possunt illarum penarum liberalem diminutionem. Septimo, in concedenda hac impetratione liberalis remissionis nullum sequitur inconueniens: nam esto orationes Sanctorum feruentissimæ sint, non inde fit, Purgatorium euacuari, sicuti neque omnes peccatores eorum: quatenus non habeant effectum infallibilem, sed solum quantum Deo visum fuerit, Deus concessione effectum legibus diuinæ iustitiæ simul cum misericordia temperat. Et licet extra hanc vitam non videatur esse locus gratiæ, sed rigide vindicatur iustitiæ, hoc intelligendum est, quatenus nullus iam pro se satisfaciatis, aut impetrare aliquam remissionem potest: sed verò per amicos.*

11. Nihilominus: et si prædicta sententia sit satis probabilis, probabilior existimo, negantem concedi animabus Purgatorij aliquam penam debitam liberalem remissionem; sed remissionem penarum non aliter fieri, quam solutione condigna exhibita. Sic docuit Suarez. *lib. 48. sect. 5. à n. 5. Ducor: quia diuinam providentiam maxime decet modum remittendi penas pro peccatis debitas firmum, & stabilem esse: si ob intercessionem Sanctorum non semper; sed aliquando sit remissio harum penarum nulla solutione facta non est firmus, & stabilis modus de illarum remissione, quandoquidem pro beneplacito diuinæ voluntatis variatur. Et confirmo. Vel Deus statuit, nunquam hanc remissionem concedere, nisi condigna solutione exhibita per satisfactioem rei, vel satisfactioem aliorum, vel statuit aliquando gratis concedere hanc remissionem ob Sanctorum intercessionem. Si hoc secundum dicas, uti opposita sententia affirmat, concedere necessario debes, tibi impetrare posse hanc gratuitam remissionem pro penis debitis: siquidem oratio pro te facta efficacior de se est ad impetrandum, quam ad impetrandum pro alio. Deinde debes concedere non solum ob Sanctorum intercessionem: sed etiam*

ob peccatorum, & iniquorum orationes concedi aliquando hanc penarum remissionem: nam, cum sit gratuita, & non fundata in condignitate operis, sed in Dei liberalitate, & misericordia, nullum est inconueniens, quod ob intercessionem peccatoris fiat. Ne igitur hæc admittamus, asserendum est, nunquam Deum remittere penas pro peccatis debitas, nisi posita earum condigna solutione per satisfactioem, vel satisfactioem, præcipue cum in hac remissione respiciatur, tum vindicatur iustitiæ, exigendo solutionem condignam, tum misericordia, acceptando solutionem, quam secluso suo verbo acceptare non tenebatur.

11. Argumenta verò opposita sententiæ non adstant. Ad primum respondeo, petitionem gratuitæ remissionis obtinere legi à Deo statuta, in qua cum nobis non consistit, de reuocandis aliquoties dispensare, temere fieri. Ad secundum, & tertium dico, Ecclesiam, & Sanctos remissionem penarum petere secundum leges diuinæ iustitiæ. Si autem secundum leges diuinæ iustitiæ nulla est facienda remissio, nisi solutione facta, tacite eam solutionem expostulant. Directè autem remissionem petunt, & non solutionem: tum, ut intelligatur, eam orationem in defunctorum fauorem integrè fieri: tum præcipue, quia ea remissio multis modis fieri potest, nempe satisfactioem breuiori, licet intensiori; satisfactioem viuorum, sacrificio, indulgentiarum applicatione, ideoque expediebat, ne Sancti, & Ecclesia modum solutionis directè pererent; sed diuinæ providentiæ remitterent eligendum, ut ad quem maluerit, excitaret; ipsi verò contenti essent remissionis postulatione. Quæ ratione sæpe pro aliis viuentibus oramus, ut Deus eorum peccata remittat; tamen si modus remissionis Deo reservatus sit, & necessario præstantur secundum legem diuinæ iustitiæ, & misericordiam statutam. Præterea, cum sub opinione positum sit, an exhibita satisfactio condigna teneatur Deus penas defunctorum, in quorum fauorem facta est, remittere; optimè Ecclesia directè hanc remissionem postulare potest. Modus autem, quo Beati remissionem petunt, nobis ignotus est. Ad quartum: Optimè possumus per diuinam misericordiam petere hanc remissionem; non, quia nulla condigna solutione faciendæ sit; sed, quia est opus diuinæ misericordie, ut ea solutio fiat, & acceptetur: & ob eandem causam petimus fieri per merita Christi, & Sanctorum: quia ob illorum merita competens solutio impetranda est. Quintum argumentum refert modos, quibus animæ solvantur: refert autem orationem distinctè ab aliis, non, quia orationi sola impetratio gratuitæ remissionis concedenda sit; sed, quia sub oratione omnia opera religionis comprehenduntur, sicuti sub elemosyna omnia opera misericordie, & sub ieiunio omnes corporis afflictiones, & castigationes. Ad sextum concedo, gaudium, & consolationem obtineri à Sanctis posse: quia non est materia iustitiæ, sed liberalitatis. Secus est de remissione penarum: quæ per iustitiam vindicatur taxata est, quamque non expedit remitti, nisi iustitiæ vindicatur: fiat satisfactio. Ad septimum constat ex probatione nostræ sententiæ: ubi inconuenientia opposita sententiæ intulimus.

§. III.

Quæ conditiones requirantur ex parte eius, cui suffragium applicatur, ut illi proficit.

1. Debet suffragio indigere.
2. Debet esse in gratia, ut suffragium satisfactoris illi applicetur: scilicet suffragium impetrationis.
3. Remissum peccatum debet esse, pro quo suffragium satisfactoris offertur.
4. Catechumeno applicare nostræ satisfactioes possumus.
5. Tametsi potens sit ad satisfaciendum, possumus pro illo satisfaciatis.
6. Neque indiget speciali, & expressa acceptatione, sed sufficit virtualis, ut ei proficit aliena satisfactio.
7. Prædesti nostra satisfactio animabus Purgatorij: esto, aut viuentem, non habuissent specialem in defunctos deuotionem.

1. Prima conditio est, ut suffragio indigeat: hæc enim ratione Beatis nostra suffragia non profunt: quia illis non indigent, neque ad penarum remissionem, neque ad alicuius boni impetrationem. Præter beatos autem nullus est alius, cui hæc conditio absolute deficiat: nam, quantumcumque iustus sit, augeri in iustitia potest, ac proinde suffragiis nostris per modum impetrationis, & meriti de congruo, inuari, tum ad augendam iustitiam, tum ad alia bona impetranda. Suffragio verò satisfactoris plures sancti non indigent, utpote quibus omnis pena simul cum culpa remissa est. His ergo applicata nostra satisfactio effectum non habet: ne autem omnino pereat, thesauro Ecclesie reponitur. Affirmare autem, manere in acceptatione diuina, ut illi applicetur, si forte indigeant, est prorsus sine fundamento, & contra debiti ordinem. Non enim decet parare penam remissionem,

Ferd. de Castro. Sum. Mor. Pars I. V.

R. ans



antequam pena contrahatur, præterquam quòd aliquis est  
 ter occasio committendi culpas; quibus sublatis, nulla restat  
 obligatio satisfaciendi. Sic Suar. *disp. 48. section. 7. n. 5.* Valent.  
*1. 4. disp. 7. quæst. 20. punct. 5. in princ.* Bonac. *disp. 6. q. 2. p. 3. in  
 princ.*

2. Secunda: debet esse in gratia, pro quo suffragium  
 satisfactionis offertur. Qui enim in peccato mortali existit,  
 indignus est penæ alicuius remissione, utpote qui dignus est  
 qualibet penæ æterna. Deinde hæc satisfactionum communi-  
 catio nititur charitati, & diuinæ promissioni, quæ solum in  
 fauorem amicorum censetur facta. Præterquam quòd nostra  
 opera, etiam si excellentissima, sint condignitatem non ha-  
 beant, ut pro peccatore satisfaciatur, bene tamen pro iusto.  
 Suar. *disp. 48. sect. 7. n. 3.* Bonac. *disp. 6. q. 2. de suffragio. pun. 3.  
 num. 5.*

Prædicta satisfactio, ut superius diximus, in thesauro Ec-  
 clesiæ reponitur, vel, ut aliis placet, ipsi satisfaciendi, si indiget,  
 applicatur: nunquam tamen censenda est referri in accep-  
 tatione diuina, ut applicetur peccatori, cum à peccato resur-  
 get: quia huius retentionis nullum adest fundamentum, ne-  
 que peccator ea gratia dignus existit, ut bene aduertit Suar. *d.  
 sect. 7. n. 4.*

Notanter dixi *suffragium satisfactionis*: nam suffragium im-  
 petrationis optime potest, & maxime decet peccatoribus ap-  
 plicari, ut à peccato media penitentia resurgant.

3. Tertia: remissum esse debet peccatum, pro cuius penæ  
 remissione suffragium satisfactionis offertur. Rationi enim  
 dissonum est penæ remissionem obtinere perseverante culpa,  
 quæ penæ dignum faciat. Neque vllus iustus potest alteri  
 remissionem culpæ venialis immediate obtinere, sed solum  
 mereri auxilium, quo se ad culpæ remissionem disponat, sicuti  
 notauit Suar. *d. 4. sect. 7. in princip.* Hæc conditio inter fideles  
 videntur sæpe deficere: quippe esto, sint in gratia constituti,  
 nullumque reatum penæ pro peccatis mortalibus debitum  
 habeant; attamen sæpe pluribus venialibus afficiuntur, quo-  
 rum reatus solui non potest, nisi culpis prius remissis. Sed in  
 animabus purgatorij hæc conditio semper obseruatur: quia  
 nullo peccato, etiam veniali, afficiuntur. Nam, etsi aliquibus  
 affecti decesserint, in puncto decessionis eorum illis remissio  
 conceditur, ideoque suffragio satisfactionis semper capaces  
 existunt.

4. Præter prædictas condiciones, nulla alia requiritur:  
 nam character baptismalis, quem aliqui postulant, neque ad  
 suffragium orationis, ut est euident, neque ad suffragium  
 satisfactionis potest esse necessarius. Si enim catechumenus  
 applicare valet suam satisfactionem baptizato iusto, cur  
 non iustus baptizatus catechumeno? Certè cum hæc applica-  
 tio sit quadam propriæ satisfactionis donatio, & catechu-  
 menus, siue viuus, siue defunctus in charitate baptizato vni-  
 us sit, capax existit illius satisfactionis, qua indiget recipien-  
 da. Neque obstat, quòd sacrificij fructus catechumeno non  
 applicetur, quia, cum sit beneficium, quòd Christus Dominus  
 suæ Ecclesiæ reliquit illi, qui sunt extra Ecclesiam eo frui non  
 possunt. Neque item obstat, quòd Ecclesia regulariter non  
 fundat orationes pro Catechumenis, uti decidit in Conci-  
 lio Bracharensi 1. canon. 15. ibi: *Placuit, ut Catechumenis sine  
 redemptione Baptismi defunctis, neque oblationis sanctæ com-  
 memoratio, neque psallendi impendatur officium.* quia id præ-  
 stat, ut significet, esse vnum corpus constans ex membris per  
 Sacramentum Baptismi inter se vnitis. Quo non obstante, ali-  
 quando pro catechumenis, & iis, qui sunt extra Ecclesiam,  
 orat, ut in feria sexta Parasceue.

5. Secundò, non requiritur, ut is, pro quo suffragium satisfac-  
 tionis offertur, impotens sit ad satisfaciendum, (tamen si aliqui  
 eam conditionem exigant:) quia hæc applicatio satisfactio-  
 nis est quædam gratuita donatio, quæ solum exigit volunta-  
 tem donantis, & capacitatem in eo, cui facienda est; aliàs si  
 hæc impotentia necessaria foret, vix vlli viuenti applicare sa-  
 tisfactionem posses, cum rarus sit, qui actibus, saltem internis,  
 theologarum, atque moralium virtutum non possit, si velit, sa-  
 tisfacere. Item, eadem ratione neque animabus Purgatorij  
 posses satisfactionem applicare: nam esto, satisfacere non pos-  
 sunt, possunt satisfaci, & per satisfactionem debitum compen-  
 sare.

6. Tertio, neque opus est specialis acceptatio illius, pro quo  
 sacrificium offertur, quia eo ignorantante applicari potest, aliàs  
 incertum esset nostras satisfactiones defunctis prodesse: si quidem  
 incertum est an illas cognoscant, siue viribus naturæ, siue  
 per reuelationem, siue per manifestationem Angeli custo-  
 dis. Solum enim requiritur non repugnantia, seu habitualis  
 voluntas, qua gratum quis habet, quidquid in propriam vtili-  
 tatem sibi factum fuerit.

7. Quarto, necessarium non est, ut suffragium animabus  
 Purgatorij proficiat, quòd ipse specialem deuotionem, dum vi-  
 uerent, circa defunctos habuerint, specialiaque beneficia illi-  
 is impenderint, uti requisit Caieran. *tom. 1. opus. tractat. 16.  
 quæst. 5. cui fauet textus in cap. Non estimamus. 13. quæst. 2.*  
 Quia satis decedendo in gratia prædicta suffragia meruerint,

vti probat Valent. *disp. 11. quæst. 1. circa finem* Suarez *disp. 48  
 sect. 6. n. 6.*

## §. IV.

Expenduntur condiciones requisitæ in offerente  
 suffragium, ut vtile sit.

1. Debet suffragium ex intentione formali, vel virtuali, fauen-  
 di alius fieri.
2. Opus, quo suffragium intenditur, debet esse honestum.
3. Suffragium satisfactionis ab homine existente in gratia proce-  
 dere debet, sicuti impetrationis.
4. Qualiter suffragium orationum impensum à ministro Ecclē-  
 siæ differat ab eo, quòd impenditur à persona privata.
5. Quando censetur nomine Ecclesiæ orationes fundere.
6. Suffragium satisfactionis ab homine viatore præstandum  
 est.
7. Plures censent, executionem legati in testamento relictæ pa-  
 nam defuncto remittere.
8. Verius est oppositum.
9. Executione restitutionis in testamento mandate, non alio  
 modo, quàm executione legati liberatur defunctus à Pur-  
 gatorio.

1. Quatuor condiciones enumerari possunt ex parte suf-  
 fragantis, ut suffragium aliis vtile sit. Prima, ut inten-  
 tionem habeat formalem, vel virtualem pro aliis suffragium  
 offerendi. Sic D. Thom. in 4. *dist. 45. quæst. 2. art. 4. qq. 1.* Palu-  
 dan. *quæst. 2. art. 2.* Suar. aliis relatis *disp. 48. sect. 8. nu. 22.* Em-  
 manuel Sà verbo *Indulgentia, in addit. in fine.* Bonac. *disp. 6. q.  
 1. de suffrag. part. 2.* Nam seclusa hæc intentio opus tuum est,  
 ac proinde ut alteri proprium fiat, donatio interuenire debet,  
 quæ fieri non potest absque voluntate. Illa verò posita, si suf-  
 fragium satisfactionis multis aqua intentione applicas, omnibus  
 prodest, minus singulis, quàm si pro singulis offeres:  
 quia finitum inter plures diuisum minus singulis competit.  
 Si autem vni tantum suffragium satisfactionis offeras, illi  
 tantum proderit, si capax existit, sin minus thesauro Ecclesiæ  
 reponitur. Quòd si de suffragio impetrationis directè loqua-  
 mur eandem intentionem habere debes impetrandi postula-  
 tum iis, in quorum fauorem preces fundis: illæ autem preces  
 pro pluribus oblate, nisi pro singulis distinctè fiant, ex se non  
 sunt ita impetratorie, sicuti cum pro singulis offeruntur, tamen  
 etsi ex benignitate Dei, in qua præcipue impetratio fundatur,  
 sæpe pro omnibus aquè proficiat, ac si pro singulis essent obla-  
 tæ: in quo suffragium impetrationis maxime à suffragio sa-  
 tisfactionis differt. Notanter dixi, *impetrationis directæ*: nam  
 indirectæ impetratio, quæ consistit in executione boni ope-  
 ris, ratione cuius Deus mouet amicos, & cognatis operan-  
 tis benefacere, tamen ipse operans recordatus illorum non  
 fuerit, neque pro ipsiis aliquid postulauerit, specialem inten-  
 tionem non requirit.

2. Secunda conditio est, ut opus, quò alteri suffragari vel-  
 lis, bonum sit, & honestum, aliàs si Deo displicet, nec sa-  
 tisfactorium esse potest, nec impetratorium, uti ex omnium  
 sententia tradit Suarez *d. 48. disputat. 48. section. 2. numer. 10.*  
 Solum aduerto, esse aliqua opera, quæ fieri possunt medio  
 interuencio, tanquam instrumento, ut elemosyna concessa  
 per famulum: hæc enim ex iniquitate instrumenti non vi-  
 tiantur; sed eorum honestas, & valor ex voluntate domini  
 imperantis elemosynam fieri desumendus est: quia imper-  
 ans verè, & propriè elemosynam tribuit illi, quæ est causa  
 principalis.

3. Tertia, ut suffragium satisfactionis ab homine grato  
 procedat: opera enim in peccato existentis nec meritum, nec  
 satisfactionem habent, nec digna sunt, ut à Deo in remissio-  
 nem penæ, siue alienæ, siue propriæ acceptentur. Suffragium  
 verò impetrationis, licet ex se parum efficax in peccatore esse  
 potest: sæpe enim Deus ob bona opera peccatoris, & ipsi,  
 & aliis plura beneficia impendit; quia hæc impetratio, quæ  
 solum de congruo est, non dignitati operis, sed benignitati  
 Dei nititur.

4. Hinc oritur difficultas, qualiter suffragium orationum,  
 quæ in persona Ecclesiæ ab iniquo ministro offertur, differat  
 à prædicto? Et quidem si de suffragio satisfactionis loquamur,  
 nulla est differentia, quippe nulla satisfactio in illis orationibus  
 reperitur: quia, cum illæ orationes non sint penales, & afflicti-  
 uæ, Ecclesiæ, quatenus talis est satisfactoria esse non possunt. At  
 bene esse possunt impetratorie: quia ad impetrationem nihil  
 aliud exigitur, quàm significatio voluntatis, & desiderij: quod  
 optime fieri potest, tamen si, per quem significatur, iniquus  
 sit: differat tamen hæc impetratio ab ea, quam iniquus mini-  
 ster, ut privata persona præstat: quia nititur operi non solum  
 bono, & honesto: sed factò ab Ecclesiâ, quæ Deo maxime placet,  
 & grata est: cuius placito non obest ministri iniquitas: at  
 impetratio, quæ fit ab iniquo ministro, ut à singulari persona, hæc



hanc qualitatem non habet, ideoque ex se longè minus efficacax est ad imperandum. Differentia verò, quò Suarez disp. 48. sect. 8. n. 8. assignat, nempe, orationes Ecclesie ob eius facultatem imperare infallibiliter aliquam pœnam remissionem vel applicando Christi satisfactionem, vel imperando, vt ipse eam applicet; quam infallibilitatem non habent orationes priuatæ personæ: mihi non probatur: quippe Ecclesia imperare non potest à Deo gratuitam pœnam remissionem, sed solutione facta, vt ex sententia ipsius Suarez supra firmatur reliquimus; neque etiam illi datum est, infallibiliter applicare Christi satisfactionem medijs orationibus, aliàs esset orationibus Ecclesie concessa indulgentia. Imperare verò à Christo, vt ipsam satisfactionem applicet, magis dubium est: nam esto id facere possit ex absoluta potentia; credendum est nunquam facere, postquam Ecclesia thesaurum suæ satisfactionis dispensandum reliquit. Restat ergo, vt solum differat imperatio Ecclesie, etiam per iniquum ministrum, ab imperatione cuiusvis personæ singularis in excellentia, & dignitate, tum operis, tum operantis, ob quæ longè efficacior est ad excitandum Deum, & mouendum vt postulata concedat.

6. Quòd si roges, quando censetur nomine Ecclesie suffragium offerre, quando nomine tantum proprio? Respondet Nauarr. tractat. de orat. cap. 20. numer. 40. te, siue Clericum, siue laicum nomine Ecclesie suffragium offerre, quoties orationibus ab Ecclesia institutis vtis ad orandum: Ecclesia enim has orationes videtur instituisse, vt nomine ipsius à Deo beneficia fideles impetrent. Quæ enim in hac institutione repugnantia adest? aut quod inconueniens fingi potest? Certe nullum. Ergo asserenda est, præcipuè cum & singulari si delibus, & Ecclesie conueniatur: quippe hac via, facilis, & celestis Deus postulata concedet. Verum, esto, hæc sententia pia, & probabilis sit, probabiliorem existimo, quæ asserit suffragium nomine Ecclesie defumendum esse, non ex oratione, & precibus, sed ex modo, quo funditur. Quia verisimile non est, Ecclesiam instituisse quamlibet orationem, vt nomine ipsius quilibet fidelis ea vtetur, cum non omnes sint Clerici, vel Religiosi: atque adeò nec ministris Ecclesie: sed orationes instituit, vt docerentur fideles à Deo postulare, sicuti Christus orationem Dominicam instituit, non vt nomine ipsius Patrem orerentur; sed vt nos doceret, quomodo nomine proprio orandum nobis est. Quare ea oratio nomine Ecclesie fit, quæ fit ex præcepto ipsius Ecclesie, illiusque ordinatione. Non enim intelligitur, te nomine alterius operari posse, quin alter tibi vices suas committat, specialiterque designet. Atque ita docent Suarez. disp. 48. de suffrag. sect. 8. n. 9. Bonac. disp. 6. quaest. 2. p. 2. n. 7.

7. Quarta, debet præstari suffragium, si satisfactionis sit ab homine viatore: nam extra hanc vitam nec locus est satisfactionis, nec meriti, iuxta illud Ioan. 9. venit nōx, quando nemo potest operari. Ideoque Paul. ad Galat. 6. monet, vt dum tempus habemus, id est, dum fumus in hac vita operemur bonum: tempore enim suo metemus illud. Dixi, si satisfactionis sit: nam suffragio imperationis dubium non est posse Beatos, imò & animas in Purgatorio existentes viuus fidelibus prodesse: etenim illorum precibus plura nobis beneficia pissimum Deus concedit.

Hinc decidenda est quæstio, qualiter executio pij legati in testamento relicti defuncto existentis in Purgatorio prodesse possit? Non enim defuncti Doctores, qui sentiant, virtute illius pœnam illi remitti, eò quòd defunctus non per voluntatem, quam de præsentis habet, sed per voluntatem, quam in vita habuit, illius est causa: quod videtur sufficiens, vt opus illud satisfactorium nouiter sit. Aliàs omnes fideles legata in testamento relinquentes grauius deciperent, cum credant, ea legata ad remissionem pœnarum illis fore profutura, & ex hac intentione ea relinquunt: & executores testamentorum omittentes executionem, nullam defuncto iniuriam irrogarent, si nullo fructu eum priuant: quod dici non potest, cum expresse Concil. Valense eos necatores appelleret, & excommunicatione feriendos decerneret, in c. Qui obligatione. 2. r. 1. q. 2. Ergo asserendum est, executionem legatorum defunctis prodesse, vt citius à Purgatorio liberentur: quod fieri non potest, nisi exhibendo satisfactionem, qua pœna remittitur. Atque ita docere videntur D. Th. in 4. dist. 43. q. 2. art. 1. questiuenc. 3. Palud. art. 1. concl. 3. q. 5. Bonac. art. 2. q. 2. Soto q. 2. art. 1. concl. 4. Nau. de orat. cap. 19. n. 59. expressius Supplement. Gab. d. dist. 43. q. 2. art. 2. & leg. 56. in can.

8. Nichilominus verius cenſeo cum Suarez disp. 48. sect. 8. n. 18. executionem legati pij, quatenus est effectus voluntatis defuncti, nullatenus satisfactorium esse, neque ob illam aliquam pœnam debite remissionem immediate fieri, tametsi plurius alijs modis defuncto proficit. Priorem partem mihi persuadet: quia ea executio non procedit à voluntate defuncti humano modo, siquidem eam eo tempore impedire non potest. Non igitur potest esse satisfactoria: hac enim ratione, si famulo imperes elemosinam largiri, & tempore, quo famulus elargitur, sensibus deſtitutus sis, nullam ex illa satisfactionem obtines, præter eam, quam obtinuisti, imperando elemosinam futuri: nam comparatione tui ea executio non est

opus humanum, & voluntarium. At defunctus esto, voluntatem, & intellectum habeat, nullatenus in testamenti executionem influit, sed respectu executionis se habet, ac si dormiret: ergo executioni nullam satisfactionem concedere potest. Præterea defunctus est extra viam, hoc est, extra statum merendi, & satisfaciendi, sibi, & alteri. Si autem ea executio satisfactoria esset, vt ab ipso defuncto fuit imperata, verum esset dicere, defunctum satisfacere posse: cur ergo non poterit denuò mereri? Non enim ad meritum plures conditiones, quàm ad satisfactionem expostulantur. Quapropter condentes testamentum summopere aduertere debent, vt sint in gratia, cum ea legata relinquunt: siquidem tota satisfactio, sicut & meritum, in legatione perficitur. Quòd si tempore legationis in peccato existant, debent sublato peccato voluntatem confirmare, aliàs nullam ex legatione satisfactionem, sicuti nec meritum obtinebunt. Secunda pars conclusionis, scilicet, multis alijs modis executionem testamenti defuncto prodesse, facile probatur. Primò, poterat prodesse ad remissionem pœnæ, si ipse executor in gratia existens eam executionem, quod est opus pium, honestum, & de iustitia debitum, ac proinde meritum, & satisfactorium, defuncto vellet applicare. Secundo, ob illam executionem non solum vt procedit ab exequente; sed vt est effectus voluntatis defuncti, moueri Deus potest; tum ad excitandos fideles, vt pro tali defuncto satisfactionem aliquam exhibeant; tum ad concessionem alicuius gaudij, & consolationis, tum ad minorandum pœnarum tempus, tametsi pœna intensior fiat. Tertio, virtute illius executionis excitantur legata recipientes, ad orationes fundendas pro defunctis, non à que satisfactiones illis applicandas, ob quæ, & alia commoda merito Concilium Valense negligentes executores, pauperum necatores appellat. Neque ratio opposita aliquid amplius probat. Neque D. Thom. aliique plures Doctores nobis contrarij sunt, cum ipsi tantum dicant, executionem testamenti defunctis prodesse, vt citius liberentur: quod optime intelligi potest de mediata remissione, non de immediata, quatenus effectus est voluntatis defuncti.

9. Secundo deciditur, an ob restitutionem in testamento relictam, & executionem mandatum citius defunctus liberetur à Purgatorio, vel ob eius omissionem citius defunctus liberetur à Purgatorio, vel ob eius omissionem citius defunctus liberetur à Purgatorio? Et breuiter respondeo, ob executionem restitutionis non posse alio modo citius liberari, quam liberatur executione cuiusvis legati pij: illis tamen modis manifestum est liberari posse, ideoque per accidens ob omissionem restitutionem detineti in Purgatorio potest: quia non preſtatur id, quo Deus moueri solet ad excitandos animos fidelium, vt in fauorem defuncti restituentis nouas satisfactiones exhibeant. Per se autem detineti in Purgatorio non potest ob omissionem restitutionem: nam, cum ipse defunctus in ea omissionem culpabilis non existat, licet tempore vitæ fuerit, ob eam puniri non potest. Quare, si reatum debitum tempore mortis habitum sufficienter soluit, ad cælum euolabit, sicut aduertit Suarez disp. 48. sect. 8. n. 19.

PUNCTVM II.

De nominice, & natura Indulgentiarum,

1. Indulgentia unde dicatur.
2. Eius definitio.
3. Remissa culpa plerumque restat aliqua pœna luenda.
4. Datur in Ecclesia thesaurus, seu cumulus satisfactionum Christi, & Sanctorum.
5. Hic thesaurus in acceptatione diuina existit.
6. Reliquis Ecclesie Christus potestatem distribuendi prædictum thesaurum.
7. Explicatur definitio Indulgentiæ.
8. Vtus concedendi indulgentias est antiquissimus.
9. Non est actus Ordinis, neque Ordinem requirit.
10. Est tamen iurisdictionis actus.
11. Negant plures, absolutionis actum in concessione indulgentiarum concedi.
12. Vera est supradicta sententia in comparatione defunctorum scilicet viuorum.
13. Actus iurisdictionis, qui indulgentiarum concessione exercetur, voluntarius est, non coactiuus.
14. Concedens Indulgentias eus lucrari potest.

1. **T** Amethi Latini Interpretes sæpius nomen indulgentiæ pro molli permissione, & rationi non satis consentanea usurparunt, vt constat ex illo Quintil. l. 1. c. 3. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, meros omnes & mentis, & corporis frangit. Attamen Concilia, & Patres Ecclesie Indulgentiam appellauerunt, iustam, & liberalem debiti remissionem, iuxta textum in c. Quod autem, de pœnit. & remiss. &c. Indulgentia. cod. tit. in 6. & cap. Si quem, §. indulgentia 2. q. 3. & leg. 1. tit. 33. part. 7. & Extrarag. Vnigenitus de pœnit. & remiss.



2. Sumpra igitur indulgentia in hac acceptione, communi-  
 ter à Doctõribus definitur, vt videre est in Caiet. *de indul-*  
*gent. c. 7.* Cordub. *ead. q. 1.* Nauar. *notab. 20. n. 1.* Henrici. *l. 7.*  
*c. 1.* Valent. *tom. 4. disp. 7. q. 20. p. 1. statim in princ. Suar. tom. 4.*  
*in 3. p. disp. 49. sect. 4. in princ. Coninch. disp. 12. initio. Laym.*  
*l. 5. sum. 27. c. 1. n. 1.* Bonac. *disp. 6. q. 1. pun. 1.* Barbol. *3. p. de po-*  
*nitent. Episc. alleg. 88. n. 1.* vt sit pœna temporalis pro peccatis  
 actualibus remissis debita relaxatio de thesauro communi  
 Ecclesiæ ab eo, qui potestatem habet.  
 3. Pro cuius explicatione præmitto, etsi remissa culpa ne-  
 cessariõ pœna aeterna, quæ illi annexa est, remittatur, attamen  
 sæpe aliqua pœna temporalis manet luenda, vel in hac vita,  
 vel in Purgatorio, sicuti tract. *de penitent. p. de satisfact. latè*  
*diximus.*  
 4. Secundõ præmitto, in Ecclesiâ dari thesaurum, seu cu-  
 mulum infinitum satisfactionum, præcipue ex satisfactionibus  
 Christi Domini, deinde ex satisfactionibus Beatissimæ  
 Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum constantem, vt tra-  
 dunt, tanquam de fidè, Doctores catholici apud Bellarmin.  
*l. 3. de Indulgent. forè in princ. Valent. l. 4. disp. 7. q. 20. p. 1. in*  
*medio. Suarez disp. 49. sect. 1. c. disp. 51. sect. 1. Coninch. disp. 12.*  
*aub. 1. Bonac. disp. 6. q. 1. p. 1. in fine. Laym. l. 5. tract. 7. c. 1. & probat*  
*textus in extratrag. Vnigenitus. de penitent. c. remiss. &*  
*Trident. sess. 21. c. 9. c. sess. 25. ad finem. Etenim, cum Christus*  
*Dominus infinitam satisfactionem medijs suis operibus Pa-*  
*tri obtulerit pro nostris, & totius mundi peccatis, illamque*  
*suæ Ecclesiæ reliquerit, quia totus est nobis natus, & datus, vt*  
*dixit Isai. c. 9. n. 6. Ioann. c. 4. n. 26. Paul. ad Galat. 1. n. 4. ad Ti-*  
*tim. 2. n. 14. ad Roman. 8. n. 32. & Petrus c. 2. n. 21. manifestum*  
*est, penes Ecclesiam potestatem esse distribuendi illam satis-*  
*factionem; aliàs frustra nobis eam satisfactionem reliquisset,*  
*si ea Ecclesia vti non posset. Deinde, cum omnia opera B.*  
*Virginis, & aliorum Sanctorum, non solum habeant vim me-*  
*rendi, sed pro peccatis satisfaciendi, quorum satisfactio*  
*ipsi sæpe non indigerunt, neque eam alijs de facto applica-*  
*runt; efficitur ex benignitate Dei eam satisfactionem in the-*  
*saurò Ecclesiæ simul cum satisfactioe Christi Domini reposi-*  
*ti per Prælatos Ecclesiæ distribuendam, ne dicamus, eas satis-*  
*sactiones omnino perire. Neque inde fit, satisfactioe infi-*  
*nitæ Christi Domini derogari: quia esto, satisfactioe B. Vir-*  
*ginis, & Sanctorum, satisfactioe Christi Domini adiungan-*  
*tur; id tamen non ex necessitate, nam illis cessantibus satisfac-*  
*tiõ Christi ita infinita est, vt nequaquam exhaustiri possit. Ad-*  
*iunguntur autem Christi Domini satisfactioe, tum in san-*  
*ctorum honorem, tum in charitatis fidelium augmentum.*  
*Neque item ex hac satisfactioe coniunctioe derogatur*  
*plena Christi redemptioni, quæ præcipue in liberatione à*  
*peccato, & pœna aeterna consistit: quia satisfactioe Sanctorum*  
*ad prædictam liberationem non concurrunt. Et licet*  
*concurrant ad liberationem pœnae temporalis pro peccatis*  
*debitæ, quia tamen non ex se, sed ex virtute, & efficacia, quam*  
*à satisfactioe, & merito Christi Domini acceperunt, con-*  
*currunt, ideo pœnae Christi satisfactioe, & redemptioni non*  
*derogatur: quinimo maximè extollitur, cum non solum per*  
*se, sed per virtutem, quam satisfactioe Sanctorum com-*  
*municat, pœnas pro peccatis debitas remittere possit.*  
 5. Quod si roges, quo loco thesaurus satisfactioe Chri-  
 sti Domini, & sanctorum existat? Respondeo, non in loco alio  
 quo materiali, sed in Dei acceptatione, quippe Deus Pater  
 satisfactioe Christi Domini, & superuentem satisfactioe  
 n. Virginis, & sanctorum in sua voluntate obseruam  
 habet, & acceptam, vt inde per Prælatos Ecclesiæ distribuatur,  
 & applicari possit.  
 6. Tertio præmitto, Christum Dominum suæ Ecclesiæ re-  
 liquisse potestatem ex prædicto thesauro applicandi satisfac-  
 tiones, quæ visæ fuerint convenientes fidelibus, vt pœna pro  
 peccatis debita remissionem obtineant, atque ad eõ conceden-  
 di indulgentias, sicuti supponit Trident. *sess. 21. cap. 9. de reform.*  
*mat. & apertius sess. 25. decreto de Indulgent. Satisfactio enim*  
*Christi Domini, esto infinita sit, & sufficiens pro cuiuslibet*  
*peccati, quoad culpam, & pœnam, remissione: attamen ob no-*  
*stram vilitatem applicatioe indiget. Hæc autem applicatio*  
*multipliciter fit, tum Sacramentis, tum sacrificio, tum indul-*  
*gentiarum distributione, vt colligunt communiter Doctores*  
*ex illo Matth. 16. Tibi dabo clauis regni caelorum, & quodcum-*  
*que solueris super terram, erit solutum in caelis. Etenim, cum*  
*huiusmodi verba latè interpretanda sint, vt potestatem*  
*continentia nemini nocuam; & introitus regni caelo-*  
*rum non solum culpa, sed qualibet pœna debita impediatur,*  
*efficitur Petro illis verbis promissam esse facultatem*  
*soluendi ea pœna astrictos, vt sic soluti liberè possint in re-*  
*gnum caeleste introire. Concessa autem creditur hæc potes-*  
*tas, etiam Ioan. c. 21. dicit illi est, Pisco oues meas. Nam eo loco*  
*tradidit Christus Petro vniuersalem potestatem regendi Eccle-*  
*siam: at sub ea potestate latè interpretata non solum contineri*  
*debet potestas sacramenta ministrandi, leges ferendi, sed etiam*  
*soluendi subditos à pœnis pro peccatis debitis: quia hæc potes-*  
*tas, & fidelibus conuenientissima est, & promissioni factæ*

de clauibus regni caelorum maximè congruit: siquidem ea  
 potestate regnum caelorum, quod ob pœnarum debitum clau-  
 lum est, aperitur.  
 7. Ex his definitio indulgentiæ apertissima est. Dixi, esse re-  
 laxationem pœnae temporalis pro peccatis actualibus remis-  
 sis debita. Neque enim esse poterat relaxatio culpæ, etiam ve-  
 nialis, cum hæc non nisi per sacramentum, vel interiorum ho-  
 minis renouationem fiat. Neque etiam pœnae aeternæ: quia  
 hæc simul cum culpa remittitur. Neque etiam esse potest re-  
 laxatio pœnae debita pro peccato originali, quia eo remissio,  
 & pœna damni, quæ illi correspondet, integrè remittitur:  
 præterquam quod indulgentiæ non in satisfactionem pœnae  
 damni, sed sensus applicantur. Nec denique esse potest re-  
 laxatio pœnae, stante culpa: quia alienum est ab ordine diuinæ  
 prouidentia remissionem pœnae concedere, culpa non remis-  
 sa. Restat igitur, vt indulgentia remissio sit tantum pœnae tempo-  
 ralis debita pro peccatis actualibus remissis. Hæc autem  
 remissio fit ex thesauro Ecclesiæ, eo, qui potestatem habet  
 thesaurum distribuendi: cui verò ea potestas concessa sit, in-  
 ferius dicemus.  
 8. Vtus verò concedendi indulgentias antiquissimus est, vt  
 expressè testatur Trid. *sess. 25. decreto de indulg. & Bonifac. in*  
*Extr. aug. 1. de penit. c. rem. & plucibus exortant Henric. lib.*  
*7. de indulg. c. 5. Val. disp. 7. q. 20. p. 2. Bellarm. tract. de Indul.*  
*c. 3. Suar. disp. 46. sect. 2. alique scriptores aduersus Hereticos*  
*nostri temporis. Quinimò plures existimant, ab Apostolorum*  
*tempore hunc vsum inceptis, neque leuiter colligitur ex illo*  
*Pauli 2. ad Cor. 2. vbi incestuoso, quem prius excommunicau-*  
*erat, partem pœnae pro peccatis debita, remissit; tum, ne*  
*abundantiori tristitia absorberetur, tum in gratiam Corin-*  
*thiorum, qui pro ipso intercesserant. Hanc autem remissionem*  
*non solum fuisse de pœna iudiciali, & exterius soluenda, sed*  
*de pœna debita quoad Deum probant ea verba, quæ Paulus*  
*dixit: Nam c. quod donauit, si quid donauit propter vos in per-*  
*sona Christi. At, si Paulus solum pœnam iudicalem, & exter-*  
*nam remitteret, cum respectu illius Iudex ordinarius esset*  
*constitutus, non affirmaret in persona Christi eam facere re-*  
*missionem, cum nomine proprio eam faciat. Inferitur ergo re-*  
*missionem illi factam esse de pœna debita quoad Deum, quam*  
*Paulus præstare poterat tantum in persona Christi, & quate-*  
*nus illius minister erat.*  
 9. Sed cuius potestatis actus sit indulgentiarum concessio,  
 Ordinis, an iurisdictionis: Et quidem non esse actum Ordinis,  
 etiam sacerdotalis, vel Episcopalis, communis est sententia  
 cum D. Th. in 4. *dist. 20. q. 1. art. 4. qq. 2.* Caiet. *Opusc. de In-*  
*dulg. c. 2. Sylu. verb. indulgentia. n. 13. Sot. dist. 21. q. 1. art. 4. Suar.*  
*disp. 49. sect. 3. n. 3.* quia indulgentiarum concessio est quædam  
 authentica ex thesauro Ecclesiæ distributio: hæc non cuiuslibet  
 sacerdoti, vel Episcopo concedi à Christo expediebat, sed  
 illi tantum, quem suum Vicarium reliquerat, cuique tota Ec-  
 clesia commissa erat. Præterea sæpè Pontifices augent, vel mi-  
 nuunt potestatem in Episcopis in concessione indulgentiarum,  
 vt probat text. in c. *Cum ex eo. de penit. c. rem. & c. Romana. eo-*  
*dem tit. in 6. Ar. si ex vi ordinationis hæc potestas sacerdoti-*  
*bus, vel Episcopis competeret, augeri, vel minui non posset.*  
 Quinimò existimo, indulgentiarum concessioem non so-  
 lum non esse à potestate Ordinis, sed neque Ordinem requi-  
 rere. Sed eo ipso, quò Pontifex est electus, & iurisdictionem  
 in Ecclesiam obtinet. Potestatem habet indulgentias conceden-  
 di: nam earum concessio ad rectam, & conuenientem Ec-  
 clesiæ gubernationem pertinet, vt latius prosequitur Suar. *disp.*  
*49. sect. 3. n. 4. & disp. 55. sect. 3. n. 18. & tradit Abbas in c. Ac-*  
*cedentibus de excessu. Prælat. Cordub. de Indulg. q. 10. propositi...*  
*Nauar. tract. de indulgent. notab. 3.*  
 10. Ex his fit, concessioem indulgentiarum à potestate iurisdictionis  
 soluendi subditos, illis que beneficiandi prouenire: quæ fuit  
 sententia communis apud S. Th. in 4. *dist. 20. Azor. inffit. mor. 2. p. lib. 3. cap. 54. q. 2. Vgol. de potest. Episc. c. 47. in*  
*princ. Aloy. Riccio. resolut. 222. n. 1. c. resolut. 306. n. 4. Suar.*  
*disp. 49. sect. 3. n. 7. Val. disp. 7. q. 20. pun. 1. post. med. Barbol. alleg.*  
*88. n. 5. c. seqq. Layman. tract. 7. c. 1. n. 4. colligiturque aperte ex*  
*Alexand. III. in c. Quod autem de penit. c. rem. vbi negat in-*  
*dulgentias posse non subditis concedi: quia earum concessio*  
*actus est iudicialis, qui nequit in non subditum exerceri. Ra-*  
*tione verò probatur: quia per indulgentiarum concessioem*  
*thesaurus Ecclesiæ distribuitur, & fidelibus applicatur: at dis-*  
*tributio bonorum communium reipublicæ ex potestate iurisdictionis,*  
*quam Magistratus habet in reipublicam nascitur: ergo ex iurisdictione,*  
*quam Pontifex habet in Ecclesiam nascitur potestas thesaurum Ecclesiæ distribuendi. Quæ ratio*  
*probat, concessioem indulgentiarum, tam pro viujs, quam*  
*pro defunctis ex potestate clauium distribuendi thesaurum*  
*Ecclesiæ prouenire, actumque esse iurisdictionis.*  
 11. Sed, an ultra distributionem thesauri, & bonorum Ec-  
 clesiæ exerceat Pontifex actum alium iurisdictionis, absolute  
 do fideles à pœnis pro peccatis debitis; non est constans sententia.  
 Nam Durand. in 4. *dist. 11. c. 20. q. 3. art. 2. & ibi Palud. q.*  
*4. Sylu. verb. indulgentia. n. 3. Antonin. 1. p. tit. 10. cap. 3. & alij*  
 negant.



negate. Quorum fundamentum est: quia penarum debitum remissio in tantum per Indulgentias fit, quatenus ex satisfactionibus Christi, & sanctorum soluitur, quidquid debitor solvere debebat. Sed ad hanc solutionem nihil aliud requiritur, quam quod tantum pretium ex thesauro Ecclesiae exhibeatur, quantum debitum est. Ergo nullum alium actum praeter distributionem thesauri, & illius applicationem, Indulgentiarum concessio continet.

11. Nihilominus distinguendum est inter Indulgentias pro vivis concessas, vel pro defunctis. Concessio igitur Indulgentiarum pro vivis non solum continet veram thesauri distributionem & applicationem, sed etiam veram absolutionem, remissionem, & condonationem poenae media illa satisfactione ex thesauro Ecclesiae Deo exhibitae: concessio Indulgentiarum pro defunctis nullam absolutionem, vel remissionem a Pontifice factam continet, sed sola pretii debiti exhibitione, & illius pro Deum acceptatione fit poenae remissio. Si expresse Bellar. lib. 1. de Indulg. c. 5. quem sequuntur Suar. disp. 49. sect. 4. a n. 9. & 10. Coninch. disp. 12. dub. 2. n. 10. & 11. late Valen. 1. 4. disp. 7. q. 20. p. 1. circa med. Ratio posterioris patris manifesta est. Nam Pontifex iurisdictione exercere non potest in defunctis: ubi enim sunt oves, quas Pontifex pascere possit. Quapropter solum potest ex thesauro Ecclesiae in quem iurisdictionem habet, eam satisfactionem accipere, qua ipsi defuncti indigent ad plenam suorum peccatorum satisfactionem, eamque viventibus tradere, ut summo Deo offerant, quam Deus pro sua benignitate acceptas, poenas debitas immediatè remittit. Ratio vero prioris patris est: quia non implicat, sed potius maxime decet, cum Pontifex pro fidelibus exhibet divinae Maiestati ex satisfactionibus Christi, & sanctorum, quidquid necessarium est ad integram poenarum debitum solutionem, ut simul nomine Christi poenas debitas remittat, illisque a debito poenarum absolvat: quia in hac absolutione, & clavis Ecclesiae, potestatem soluendi utitur, & iurisdictionem exercet, & sua potestatem commendat. Quod verò sic fiat, colligitur ex pluribus Pontificiis decretis, ubi Indulgentiarum concessio appellatur relaxationem, condonationem, & absolutionem: & praecipue probatur manifestè &c. Quod autem de poenit. & rem. ubi negat Pontifex consequi non lubditas Indulgentias: quia comparatione illorum non est potestas ligandi, aut solvendi. Censet ergo pontifex, concedentem Indulgentias proprie absolutionis actum exercere. Alias nulla esset ratio, ob quam non possit Episcopus sibi non subditis Indulgentias concedere contra praedictum cap. Quod autem.

12. Rursus hic actus iurisdictionis, qui comparatione subditorum exercetur in concessione Indulgentiarum, non est actus iurisdictionis coactivae, sed voluntariae: quia non ligat, sed solvit, & non solvit, nisi volentem: ideòque nunquam conceditur, nisi sub onere alicuius operis voluntarij, sicuti notavit Suar. disp. 49. sect. 3. n. 9. Aloy. Riccius resolut. 306. n. 5. Barbof. alleg. 88. n. 16. Laym. lib. 5. sum. tract. 7. c. 1. n. 5. Coninch. disp. 12. dub. 2. n. 11.

14. Hinc fit, Pontificem, vel Episcopum concedentes Indulgentias, eas lucrari posse quia esto, nemo in se ipsum exercere iurisdictionem coactivam possit, bene tamen voluntariam. Praeterquam quod ipsi partes sunt Communitatis, cui Indulgentias conceduntur. Non igitur debent esse deterioris conditionis. Atque ita late probat Suar. disp. 52. sect. 1. a n. 14. Azou. 2. p. lib. 3. cap. 55. quest. ult. Layman. tract. 7. cap. 1. circa finem. Bonac. disp. 6. de Indulg. quest. 1. par. 3. num. 16. Barbof. 1. par. de potest. Episcop. allegat. 88. in fine. Bellarmin. lib. 1. cap. 6. in fine. Emman. Sa Indulgentia, num. 17. & alij plures apud ipsos.

PUNCTUM III.

Quotuplex sit Indulgentia, & quem effectum habeat.

1. Indulgentia alia est totalis, alia partialis.
2. Partialis alia est determinata, alia indeterminata.
3. Proprietur quadam obiecto, & soluitur.
4. Qualiter intelligatur clausula illa saepe apposta in Indulgentiarum concessione, de poenitentis iniunctis.
5. Poenitentia iniuncta in Sacramento Poenitentiae non remittitur directè.
6. Neque item publica, & iudicialis.
7. Praedicta clausula non restringit concessionem, sed ampliat.
8. Explicatur sensus praedictae clausulae.
9. Qualiter intelligatur clausula, de peccatis, de quibus contractus, & confessus es. Proprietur ratio dubitandi.
10. Satis est probabile, ad omnia peccata extendi.
11. Qualiter Indulgentia plena, plenior, & plenissima intelligatur.
12. Proprietur quadam obiecto, & soluitur.
13. De divisione Indulgentiae in personalem, & realem, seu localem.

Ferd. de Castro. Sum. Mor. Pars IV.

14. Qui possunt lucrari Indulgentiam concessam hominibus alicuius civitatis.

15. Qualiter visitanda sit Ecclesia ad lucrandam Indulgentiam localem.

16. Quis sit Indulgentiae effectus.

1. Primò, dividitur Indulgentia in totalem, & partialem: quam divisionem insinuat Clemens in Extravaaganti, Unigenitus de poenit. & remissionib. dicens, thesauri Ecclesiastici dispensationem Petro esse commissam, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitis applicandam. Totalis ergo Indulgentia dicitur, quae totam poenam remittit ei, cui applicatur. Et licet debita inaequalis sint: quia vnus debitum grauius est debito alterius, abundantiorèque satisfactionem exposulat; nihilominus Indulgentiae totalis concessione omne debitum plene remittitur, sicuti contingit in Baptismo, qui omnem poenam pro peccatis debitam remittit, non solum ei, qui leuem tenebatur luere, sed etiam ei, qui grauisssimam debebat sustinere. Partialis verò Indulgentia est illa, quae per se non integram poenam, sed partem remittit.

2. Haec partialis Indulgentia alia est indeterminata, alia determinata. Indeterminata est, cum conceditur remissio tertiae, vel quartae partis poenarum debitatum. Nam, cum in diversis subiectis debita inaequalia sint, effectum remissionis indeterminatum habet, hoc est, maiorem, vel minorem pro qualitate suscipientium; ex se tamen efficax est ad remittendam tertiam, vel quartam partem, quae cumque sit, ut bene Suar. disp. 50. sect. 1. in fine. Determinata verò, quando conceditur remissio decem, vel centum annorum. Et enim antiquo tempore pro grauib. criminibus poenitentiae publicae imponebantur: pro crimine aduersarij septem anni poenitentiae erant assignati, iuxta textum in c. Hoc ipsum. 33. q. 2. Pro alijs criminibus quadraginta dies ieiunij in pane, & aqua designabantur, qui plerumque à principio Quadragesimae vsque ad diem Cenae Domini perdurabant, ut colligitur ex can. In 2. 50. dist. Quod ieiunium Carena vocabatur, a carendo cibo, & potu, hominumque consortio. Si verò delictum extraordinarium esset, sicuti fuit illius, qui per fallam accusationem alteri mortem intulit, cuius meminit textus in c. Accusasti. 8. de accusationib. vtraque poenitentia, & quadragenarij ieiunij, & septem annorum imponitur: si delicta multiplicaretur, pro illorum multiplicitate, & grauitate poenitentiae designabantur. Quando igitur Indulgentia quadragena conceditur, intelligendum est, concedi eam poenae remissionem, quae quadragena poenitentia obtineretur. Si autem Indulgentia septena conceditur, ea remissio conceditur, quae per poenitentiam septem annorum obrinenda foret. Atque ideò quoties Indulgentia alicuius anni conceditur, credendum est, concedi eam remissionem, quae poenitentia communi, & iuridica illius anni obtineretur, sicuti ex communi docent Suar. disp. 50. sect. 5. a n. 11. Valen. tom. 4. disp. 7. quest. 20. p. 1. ad fin. Coninch. disp. 12. dub. 5. Laym. lib. 5. sum. tract. 7. c. 3. in princ. Bonac. disp. 6. q. 1. p. 2. n. 2.

3. Sed aduersus hunc modum dicendi obstat, affectum Indulgentiae indeterminatum esse, eò quod determinari non potest remissio, quae per poenitentiam esset obrinenda; quippe haec crescere, & minui potest, tum ex feruore operantis, tum ex gratia habituali, tum ex fine, tum ex intentione, & duratione. Sed respondeo cum praedictis Doctoribus, in hac Indulgentiarum concessione spectari tantum remissionem, quae per poenitentiam quadragenam, vel septenam exterius liberè factam abstrahendo ab alijs circumstantiis obtineretur: quae remissio determinata est; & Deo cognita: ac proinde effectus Indulgentiae determinatus esse potest. Vel dic cum Suar. disp. 50. sect. 5. num. 16. spectandum esse statum, quo re ad lucrandum Indulgentiam disponis, & iuxta illum, qualitatemque operis iniuncti mensurandum esse Indulgentiae effectum; ita ut effectus Indulgentiae vnus anni aequet remissioni, quam obrineres per praedictum opus, si per annum duraret, & sic Indulgentiae effectus determinatus erit, tamen si in vno abundantior, quam in alio.

4. Porro quadragena, vel septena, vel alia determinata Indulgentia concedi solet, non absolute, sed cum hoc addito de poenitentis iniunctis, ut colligitur ex c. Cum ex. 20. de poenit. & remiss. & c. Romana. eodem tit. in 6. & c. Clement. vn. de Reliquis, & venerat. Sanctor. Quae verba non, leuem patiuntur difficultatem, qualiter intelligantur. Nam plures, grauiusque Doctores, Paludan. 4. dist. 20. q. 4. Caietan. opus. de Indulg. c. 2. & 7. Nauarr. eodem, not. 11. n. 13. Cordub. q. 9. Henriq. lib. 7. c. 6. n. 2. & alij existimant, ex vi illorum verborum concessionem restringi, ut solum intelligatur remitti reatus poenae temporalis, pro quo soluenda poenitentia iniuncta sunt. Mouentur: quia illa verba aliquem effectum operati debent, ne frustra censentur apposta, neque apparet alius effectus praeter praedictum, quem operari possint.

5. Ceterum, ut quid sentiam, paucis exponam, dicendum primò est, ex forma huius Indulgentiae poenitentiae in sacramentali foro iniuncta nequaquam directè remitti posse.



Quia obligatio eas exequendi orta fuit à Confessario, supermo Iudice, & Dei vices tenente; Indulgentiarumque concessio non est directæ præceptorum dispensatio, sed applicatio satisfationis ex Christi thesauro pro penis debitis. At esto, per Indulgentias penitentia in sacramentali foro iniuncta, remitti directè non possint, bene tamen indirectè, tollendo materiam, & fundamentum illius obligationis. Etenim, cum obligatio exequendi penitentiam iniunctam supponat reatum penæ, pro quo soluendo imposita sit, sublato per Indulgentiam eo reatu cessat obligatio penitentia iniuncta. Atque ita docet Suar. aliis relatis *disp. 50. sect. 2. n. 4.* Coninch. ex parte *disp. 12. concl. 1. n. 16.* Hoc autem intelligendum est (vt bene aduertit Suar. *n. 7.* & diximus *tract. de penit. punct. de satisfact.*) modo penitentia in solam peccatorum vindictam iniuncta sit, non in illorum medelam, sicuti censendæ sunt ferè omnes penitentia hoc tempore impositæ, quarum obligatio ob Indulgentias cessare non potest, cum Indulgentia appetitum non frangent, nec prauum habitum destruant, nec passiones remittant.

6. Secundò dico: Publicæ, & iudiciales penitentia, quæque in satisfationem Ecclesiæ ob peccata scandalosa apponuntur, nequaquam ex vi prædictæ Indulgentiae censi possunt directè remitti: quia Indulgentia non ad satisfaciendum Ecclesiæ, sed ad satisfaciendum Deo pro pena peccatis debita dirigitur, contringereque potest, Deo plenè esse satisfactum: & nihilominus Ecclesiam peccatum punire velle, & debitam de illo satisfationem sumere. Regulariter autem præcipuè iure antiquo spectato, concessa Indulgentia de penitentia iniuncta, simul illarum obligatio remissa esse censetur, vt supponunt Nauar. Cordub. Caiet. Henriq. & aliis *superius* relati.

7. Tertio dico, per prædictam Indulgentiam de penitentia iniuncta non restringi concessionem ad remittendum reatum penæ illorum peccatorum, pro quibus penitentia iniuncta sunt, vt late, & eruditè probat Suar. *disp. 50. sect. 3. & n. 14.* Coninch. *disp. 12. verb. 3. concl. 4. & 5.* Consentit Laym. *speculari* consuetudine hodierna imponendi penitentia *l. 5. sum. tr. 7. c. 3. vers. At verò.* Quia nulla fingi potest congrua ratio, ob quam vellet Pontifex reatum illorum peccatorum remittere potius, quam aliorum: quinimò grauis congruentia adest, non leuiter persuadens, Indulgentiam nullatenus ad prædictum reatum restringi: quippe sæpè frustranea esset Indulgentia, si penitentia iniuncta exeat ut esset, & ob eorum executionem reatus penæ illorum peccatorum sublatus. At credendum non est, Pontificem velle exequentem penitentia iniuncta, & pro peccatis satisfaciendum priuare Indulgentia, quas negligenti prædictam satisfationem concedit.

8. Quocirca, duplicem sensum exitimo prædictam concessionem habere posse. Primus est, vt ea remissa concedatur, quæ per penitentia iniuncta, si executioni mandata essent, obtineretur: hæc autem Indulgentia, esto, directè delectat ad tollendum reatum peccatorum, pro quibus penitentia iniuncta sunt, indirectè tamen ad cuiuslibet penæ debitæ remissionem prodest. Secundus sensus probatur à Suarez, Coninch. & Layman, *suprà.* est, vt illa verba non restrictionem, sed potius ampliationem significant: ac si diceret Pontifex: Quadragesimam Indulgentiam concedo, etiam de penitentia iniuncta. Nam reatus penæ, ob cuius solutionem penitentia iniuncta sunt, difficilius remitti liberaliter debet, quam quilibet alius reatus: ille enim sub Iudicis sententia continetur, hic vero sub nullum iudicium cadit. Præterquam quod nimis odiosum est, & disciplinam Ecclesiasticam enervat, iniunctas penitentias relaxare. Ergo Pontifex concedens Indulgentiam reatus difficilius, ceniendus est facilius reatus remissionem concedere, arguuntur. text. in cap. *Ex parte. 17. de decimis.* ibi: *Vbi maius concessit, & minus concessum esse videtur.* Præcipuè etiam illud minus sub maiori contineatur, neque diuersa rationis sit, & verba priuilegij absque vlla violentia vtrumque comprehendere possint latamque admittant interpretationem, iuxta text. in cap. *Olim. de verb. significat. &c.* Quia circa, de priuileg. Adducitque Suar. *dicta* *sect. 3. n. 15.* optimum simile ex facultate concessa alicui absoluedi à referatis, quæ sine dubio extenditur ad non referatorum absolutionem, vt pote minus difficultem concessio.

9. Rursum Indulgentia concedi solet de peccatis, de quibus contritus, & confessus es, sicuti in Concilio Lateranensi concessit Innocent. III. subsidium ferentibus pro expeditione terræ sanctæ: de qua concessione dubitatur, an constituat totalem, an partialem Indulgentiam. Et ratio dubitandi est: quia pluribus aliis peccatis, tum mortalibus, tum venialibus grauari potes; quorum tamen contritionem directè non habueris, neque illa confessus sis. Nam, si sunt peccata venialia confessioni necessarii non subiiciuntur, neque omnia potes moraliter subiicere. Si mortalia sunt, sæpè ea inculpabiliter omittis confiteri, vel, quia memoria non occurrunt, vel, quia impotens es physicè, vel moraliter ad eorum confessionem faciendam. Si igitur Indulgentia concessa tantum sit, pro vt sonat, de peccatis, inquam, de quibus es contritus, & confessus non plena, sed partialis Indulgentia est.

10. Ceterum, credo esse satis probabile, ex vi prædictorum verborum non restringi Indulgentiam ad peccata de quibus de facto, & in re contritus, & confessus sis, sed ad omnia peccata extendi, de quibus contritus, & confessus es; quatenus ad eorum remissionem contritio, & confessio opus fuerit. Etenim cum ad remissionem peccatorum contritio perfecta simul cum confessione necessaria non sit, sed virtute contritionis perfecta confessionem voti includentis, & virtute attritionis simul cum confessione peccata remittantur, credendum non est, Pontificem Indulgentiam restringisse ad ea sola peccata, quorum contritionem habuisti, & confessionem subiicisti, sed potius confessionem extendere ad omnia peccata quæ tibi remissa sunt, cum necessariò omnia illa, si mortalia sunt, debent remitti contritione, & confessione in re, vel in voto. Si verò venialia, saltem contritione imperfecta. Moueatur ad hæc explicacionem, tum ob rationem dubitandi: tum quia peccata, de quibus expressè contritus non es, neque confessioni subiicisti, efficacius exigunt Indulgentiam, quam peccata, quæ contritione, & confessione remissa sunt, cum horum reatus ex opere operato, & virtute Sacramenti solum ex parte remittantur: tum præcipuè ex Iubileo concessio ab Innocent. III. subsidium ferentibus pro expeditione terræ sanctæ: concedit namque Innocent. hīs, qui suis sumptibus alios ad bellum miserint, plenam suorum peccatorum veniam: illis verò, qui propriis viribus bello inferuierint, concedit plenam Indulgentiam suorum peccatorum, de quibus liberaliter fuerint corde contriti, & confessi. At non est verisimile, voluisse Pontificem abundantiorum gratiam conferre iis, qui alios ad bellum destinauerunt, quam iis, qui propriis viribus bello inferuierint. Ergo illa verba, *corde contriti, & confessi*, non sunt Indulgentia totalis restrictiua, sed solum apposta maioris explicacionis gratia. Tum denique, quia graues Doctores hæc explicacionem firman, vt videre est in Glossa *Clement. vnic. de Reliquiis, & venerat. Sancto. verbo, Confessus.* Abbate, & Ioann. Andr. & aliis apud Syluest. *verb. Indulgentia, quest. 7. distinct. 2.* Angel. *num. 18.* Palud. *dist. 20. qu. 4. art. 3.* Et probabile reputat Suar. *disput. 50. sect. 5. num. 10.*

11. Denique solent Pontifices in Indulgentia concedenda aliquando vt verbo *plena*, aliquando, *pleniori*, aliquando, *plenissima*: quorum mentio fit in Extrauag. *Antiquorum, de penit. & remiss. ibi: Non solum plenam, largiorem, imò plenissimam omnium suorum concedimus veniam peccatorum.* Ob quæ verba non delint Doctores, qui sentiant, solam Indulgentiam plenissimam esse totalem, plenam, & pleniorum esse partialem. Sic D. Antonin. *1. p. tit. 10. c. 3. Supplem. Gabr. in 4. dist. 45. qu. 7.* Maior eodem, *dist. 20. quest. 2. col. 8.* Nauar. *de Indulgent. notab. 9.* Nam Indulgentiam affirmari extendi ad sola mortalia, de quibus confessio facta est, vel ad penitentias iniunctas pro peccatis confessis. Pleniorum extendi ad penitentias, quæ pro peccatis confessis iniungendæ essent, & ad peccata venialia. Plenissimam verò dicunt esse totalem: quia ad omnem penam cuiuslibet peccati, siue mortalis, siue venialis, siue confessi, siue non confessi, modò remissum sit, quoad culpam se extendit.

Et quidem posse Pontifices hoc modo Indulgentias concedere, dubium non est. At peccato præsentis Ecclesiæ vltimè exitimo, quolibet ex prædictis verbis, totalem, & integram penam debitæ remissionem significari, solumque ad maiorem exaggeracionem, & Indulgentia commendacionem apponi, sicut Glossa dixit in *dicta Extrauag. Antiquorum, verbo, Plenissimam.* Sic tradit Sorus in *4. dist. 7. 21. quest. 2. artic. 1.* Cordub. *de Indulgent. q. 11.* Bolognini. *in de Indulgent. num. 100.* Henriq. *lib. 7. c. 15. n. 7. lit. X.* Suar. *disput. 50. sect. 4. n. 7.* Colligiturque apertè ex Extrauag. *Quemadmodum de peccatis & remissionib.* vbi Sixtus IV. volens reuocare Indulgentias, quæ ad instar Iubilei concessæ sunt, solum dixit, se reuocare omnes, & singulas plenarias Indulgentias. Sentit ergo, plenariam Indulgentiam totalem esse. Idem constat ex Martino V. in *fine Concilij Lateranens.* probarique potest hæc explicatio ex elegantibus Papiniani responso in *leg. si cum dies. 26. §. Plenam. ff. de recept. arbit. vbi* pleno compromisso nihil plenius esse iudicatur.

12. Sed obici potest: Aliquando ultra Indulgentiam plenariam, aliquot dies, vel anni Indulgentia conceduntur, vt videre est in Indulgentiis, quæ communiter circumferuntur concessæ gratis benedictis ab Adriano VI. Si autem Indulgentia plenaria totam penam semiteret, superflus illorum annorum additio feret. Huic obiectioni aliqui respondent, vt refert Cordub. *de Indulgentiis, quest. 11. in fine.* ex stylo Curia antiquo eam formam esse introductam ob opinionum varietatem, quam solutionem reprobatur ipse Cordub. & merito reprobanda: ita enim posita manifestè conuincitur, concessio Indulgentia plenaria Pontificem Indulgentiam totalem non concedere; sed partialem, iuxta opinionem eorum, qui partialem Indulgentiam esse sentiebant. Quod verò Cordub. inquit, id factum esse, ne Indulgentia careret effectu ob insufficientiam causam, minus probabile est, vt rectè inquit Suar.



Suar. statim referendus. Nam, esto, causa insufficientis sit ad totalem indulgentiam, si tamen ad aliquam partem sufficit, ea pars concedatur, tamen sub forma indulgentiæ plenariæ concessio facta fuerit. Quapropter placet sententia Suar. *disp. 50. sect. 4. num. 9.* affirmans, primo nulla bulla, vel decreto authentico eam formam inveniri, ac proinde non esse credendum, ea aliquando Pontificem vltim esse. Quod si de facto ea vltus reperitur, præsumi debet, si verba concessionis patiantur pro diversis temporibus concedi. Si tamen constet pro eodem tempore, & sub eadem actione concessionem esse factam, credendum est, indulgentiam plenariam operanti applicari: dies verò, vel annos superadditos animabus purgatorij per modum suffragij: quia nullus alius sentus excogitari potest, in quo illa additio effectum habere possit.

13. Secunda diuisio indulgentiæ satis communis est, in personalem & localem, seu realem. Personalis est, quæ personæ conceditur, quæque secum deferat quocumque proficiat. Localis est, quæ alicui pro loco annexa; non quia ipse locus capax sit alicuius indulgentiæ, seu remissionis, sed, quia in eius fauorem hominibus ibidem orantibus indulgentia conceditur. Qua ratione aliquibus agnis benedictis, imaginibus, &c. Indulgentia concedi solet, non quidem ipsis, sed hominibus illa deferentibus vel coram ipsis orantibus.

14. Circa quam diuisiōnem aliquot difficultates enodandæ occurrunt. Prima, circa indulgentiam personalem, quæ, inquam, personæ lucrari possunt indulgentiam concessam hominibus alicuius ciuitatis aliquod pium opus præstantibus; v.g. visitantibus aliquam Ecclesiam, aut aliquam elemosynam erogantibus. Et dubium est, potest, tum de Clericis, tum de religiosis exemptis, tum de aduenis.

Et quidem clericos illius ciuitatis lucrari illam indulgentiam posse, est omnino certum: quia esto in odiosis sub populo non comprehendantur clerici, vt probat text. in cap. *Ei sententia, de sen. eni. excommunicat. in. 5.* ac in fauorabilibus; vt sūt indulgentiæ, non est dubium comprehendendi: quia sunt præcipua pars populi Christiani. cap. *Dico sunt. 12. quæst. 1.* Quinimò non solum clerici illius ciuitatis, sed etiam illius Ecclesiæ, in qua sita est indulgentia, lucrari possunt quia non debent esse deterioris conditionis, præcipue cum ipsi, sicut & ceteri, opus iniunctum pro obtentione indulgentiæ præstare possint, vt reed. ex Cordub. tradit Suar. *disp. 52. sect. 1. num. 13. in fine.* tamen contra sentiat Felin. *tract. de indulgent. plenar. n. 35.*

Religiosi verò eam indulgentiam lucrari possunt, esto, sit, indulgentia ab Episcopo concessa. Nam esto, ab eius iurisdictione exempti sint, cum eorum exemptio, non in detrimētum, sed in fauorem facta fuerit, à privilegijs, & fauoribus non excludantur, sed pro illis obtinendis episcopali iurisdictioni se subiciere possunt, nisi specialiter sint prohibiti, se subiciere in peccatorum absolutione, & iuramentorum & vororum dispensatione. Atque ita docuit Suar. *disp. 52. sect. 1. n. 13.* Laym. *4. sum. rr. 7. c. 1. n. 5.* Emman. *Sa. indulgentia. n. 15.* Barbosa alijs relatis, *p. de potest. Episc. alleg. 88. n. 27.*

Aduenæ verò, & peregrini optime, possunt lucrari indulgentiam ab Episcopo concessam visitantibus aliquam Ecclesiam: ratione enim transeuntis habitationis ei subduntur, vt docuit Barbosa *de potest. Episc. 3. part. alleg. 88. nu. 28.* Layman. & *Sa. loc. alleg.* Illud verò commune, si Episcopus proprijs peregrinantibus facultatem concedat lucrandi indulgentias ab alijs Episcopis concessas, eas lucrari posse. Tum quia ita colligitur ex textu in cap. *Quod autem, de poenitentia & remissionib.* tum, quia vi illius licentiæ alienis Episcopis subduntur. Atque tradit Abbas in *d. cap. Quod autem n. 7. vers. Vltimò non Ludouic. Bolognin. tract. de indulg. n. 60.* Barbof. *dicta alleg. 88. n. 25.* Emman. *Sa. verbo, Indulgentia. num. 16.* Layman. *tract. 7. c. 1. n. 5.*

15. Circa localem indulgentiam difficultas esse potest, qualiter visitare Ecclesiam debeas, vt Indulgentiam obtineas? Quæ in re certum est, te obligatum esse ex fine, scilicet virtutali, colendi Deum in se, vel in aliquo sancto qui ibi specialiter honoratur, visitationem præstare: quia visitatio iniuncta ad indulgentiam & remissionem poenæ pro peccatis debite obtinendam honesta & religiosa esse debet: sicut probat textus in Extrauag. *Vnigenitus. ibi: Deuotionis,* & in Extrauag. *Quemadmodum. ibi: Reuerenter,* & tradit Nauar. in cap. *Si quando, de consecr. dist. 1. ca. 6. §. 14.* Cordub. *de indulgent. quæst. 25.* Emman. *Rodrig. in summ. cap. 265. n. 7.* Suar. *disp. 52. sect. 1. num. 4.*

16. Ex lupradictis omnibus constat, quoniam sit effectus Indulgentiæ? Nam cum indulgentia, non ad remissionem culpæ, sed poenæ temporalis referatur, indulgentia plenaria, seu totalis, omnem poenam debitam remittit, partialis verò

partem secundum formam concessionis. Quod si per aliquam indulgentiam, seu iubilæum remissio à culpa, & à poenâ concedatur; intelligi debet simul cum indulgentiæ concessione facultatem absoluedi à culpâ concedi, sicuti notantur Rodriqu. in *explicat. Cruciat. in princ. nu. 3.* Cordub. *de Indulgent. quæst. 8.*

PUNCTVM IV.

De forma seruanda in Indulgentiæ concessione, & de eius interpretatione.

1. Nulla est determinata forma, sed solum requiritur, vt voluntas concedentis satis exprimat.
2. Affirmant plures verba dubia in Indulgentiarum concessione strictè interpretanda esse.
3. Alij negant.
4. Soluuntur fundamenta opposita.
5. Approbatur hæc posterior sententia, reprobatæ quibusdam distinctionibus.
6. Explicatur qualiter verum sit, Indulgentiam valere tantum, quantum sonat.
7. Ex facultate concessa ad remittenda peccata, non inferitur concessam esse potestatem Indulgentias concedendi.
8. Qualiter potestas absoluedi concessa concedendi Indulgentias limitari debeat.
9. Aliqui censent sub verbis communibus Indulgentiam concedi posse.
10. Verius est oppositum.
11. Necessarium est, saltem in genere, quantitatem Indulgentiæ declarare.
12. Indulgentia concessa pro mortis articulo regulariter præsumitur intelligitur.
13. Qualiter intelligitur ea conditio: Dummodo in Ecclesia alia similis Indulgentia concessa non sit.

1. Neque ad communicandam potestatem concedendi Indulgentias, neque ad illarum concessionem alia forma requiritur, præter eam, quæ sufficienter concessionem exprimat. Nam, cum iure ipso nulla verba determinata sint pro communicatione potestatis concedendi Indulgentias, vel pro illarum concessione, absque fundamento determinata aliqua forma postularetur. Quod verò necessarium sit, vt ratione concessionem sufficienter exprimere, est omnium sententia, teste Suar. *disp. 56. sect. 1. num. 4.* quia est actus iurisdictionis ecclesiasticæ in Ecclesia visibili, & in fauorem hominum: debet ergo sufficientes exprimi, & declarari. Atque ita docet Coninch. *disp. 12. dub. 4. n. 22.*

2. Sed, quia sunt aliqua verba, vel signa, quæ concessionem, tum potestatis, tum Indulgentiæ limitare, vel extendere possunt, iuxta varias Doctorem interpretationes, examinandum est, an late, vel strictè interpretanda sint? Prima sententia defendit, strictè interpretandam esse. Ita Innocent. & Hostiens. in *c. Licet, de translat. Episc. Bald. in sua Margaritha, verbo Indulgentia, c. leg. Humanitatis. Cod. de impub. & alijs substitut. Palud. in 4. dist. 20. quæst. 4. art. 3.* Nauar. *de Indulg. notab. 9. num. 8. & 9.* Probatque Nauar. primò ex *reg. Cancellar. 57.* vbi Indulgentia concessa alicui Ecclesiæ pro aliquo festo, tamen in singulos annos concedatur, restringitur ad viginti annos. Deinde concessa alicui loco, qui aliam Indulgentiam similem habeat, nulla est, si in concessione posterioris non fuerit mentio prioris facta, iuxta *reg. 58.* Et regulariter non absoluedi, sed tempore limitato, per quatuor inquam, vel quique annos solent Pontifices Indulgentias concedere, iuxta *reg. Cancell. 59.* Quæ omnia videntur probare, Indulgentiarum concessionem strictè iuris esse. Secundo, quia concessio Indulgentiarum continet dispensationem in iure diuino, & distributionem æris alieni: at hæc strictè interpretantur. Ergo, Tertio, esto, Indulgentia sit fauor ei, cui fit: at respectu Communitatis non videtur esse: quippe disciplinam ecclesiasticam, & poenitentialem satisfactionem enervat, vt constat ex *c. Cum ex eo de poenit. & remiss. & ex Trid. decreto de Indulg. in fin. ibi: In Indulgentiis concedendis moderationem, iuxta veterem probatam Ecclesiæ consuetudinem adhiberi, ne minima facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.*

3. Secunda sententia præcedenti contraria docet, non solum potestatem, sed ipsam Indulgentiam concessionem fauorabilem esse, & late interpretandam. Sic sentit Glossa in *Clem. vnic. de Reliq. & venerat. Sanctor. verbo, Confessio, Syluest. verbo, Confessio. n. 8. & num. 20. & 22.* Angel. *num. 1.* Henric. *lib. 7. cap. 30.* Bonac. *disp. 6. de Indulg. quæst. 1. p. 7. à num. 3.* Mouentur primò: quia Principis Beneficium late est interpretandum, quatenus absque tertij præiudicio fieri potest, cap. *Olim. de verb. significat. leg. vlt. ff. de constitut. Princip.* Sed tam potestas concedendi Indulgentias, quam ipsa concessio, est benefi-



ciui Principis, vt de se constat. Ergo. Secundo, hæc concessio est opus charitatis, & misericordiae, vtilis ei, cui conceditur; & nemini nocens: quippe Deo sit integra solutio: & licet fiat satisfactionibus Christi: at non abque illius commissione, & voluntate, præterquam quod prædictæ satisfactiones, esto, in graui quantitate applicentur, nullam patiuntur diminutionem; sed integræ, & infinitæ persistant. Ecclesia autem ex hac concessione non leue commodum reportat: nam purior: & quodammodo Deo gratior in suis membris efficitur: ergo in quolibet casu dubio lata fieri debet interpretatio.

4. Neque contrariæ sententiæ fundamenta vigent. Nam primum de limitatione per regulas Cancellariæ, potius oppositum probat: siquidem ea restrictio visa fuit necessaria, ne Indulgentia absolute concessa censeretur perpetua. Secundum verò probat ad summum, dispensationem absolutam in iure diuino strictè esse interpretandam: Indulgentiarum concessio non est in iure diuino absoluta dispensatio, sed cum addito per integram; scilicet, solutionem. Verum enim est, iure diuino obligatum esse peccatorem integram satisfactionem exhibere, vel satisfactionem subire pro peccatis commissis. At, si Pontifex satisfactionibus Christi Domini, & Sanctorum applicatis hæc obligationem remittit, non dispensatio vtunque, sed pretio soluto remissio appellanda est, ac proinde non stricta, sed lata debet esse interpretatio. Tertium argumentum solum probat, excessum concedendis Indulgentiis esse vitandum: quia hic excessus disciplinam ecclesiasticam enervat, non verò illarum moderatus usus: nam esto, satisfactionem penitentialem remittas, solutione integrè facta, inde non labefactur ecclesiastica disciplina; sed charitas Christi Domini maxime commendatur, qui suæ Ecclesiæ thesaurum reliquit, ex quo nostram possimus paupertatem supplere.

5. Hæc sententia mihi maxime probatur, tamen si Suarez *disp. 56. sect. 2. à num. 4.* quem Layman, sequitur *lib. 5. sum. tract. 7. cap. 1. in fine.* distinctione adhibita vtique opinionem conciliare conatus sit: distinguit enim inter potestatem delegatam ad concedendas Indulgentias, & inter ipsam indulgentiarum concessionem; affirmatque, potestatem delegatam strictè interpretandam esse: scilicet, secus vero concessionem cognita potestate. Et priorem partem probat: quia etiam Pontifex non potest concedere indulgentias absque causa: sed eius potestas, esto, in illo genere amplissima sit, restringenda est intra terminos iustitiæ commutariæ, & legalis: à fortiori potestas Episcopis delegata, quæ terminos iuris communis excedere non potest. Deinde, amplitudo potestatis delegatæ est aliquo modo odiosa, & onerosa Principi. Tandem ex illa subest periculum derogandi iuri diuino, & ecclesiasticam disciplinam laxandi. Restringenda igitur est, secundam partem, scilicet, indulgentiarum concessionem supposita potestate late interpretandam esse, probat Suarez, tum fundamentis secundæ sententiæ: tum quia supposita potestate solum de voluntate dubium esse potest: at voluntati latam adhibere interpretationem, quatenus prudentia, & ratio recta permittit, cedit in concedentis liberalitatem, & benignitatem. Ergo sic adhibenda est.

Cæterum, hæc distinctionem nullo modo probare possum. Si enim indulgentia latam interpretationem admittit, quando solum à voluntate concedentis pædet, eandem interpretationem debemus concedere potestati delegatæ, quando solum à potestate delegantis eius valor dependet. Quinimo existimò, potius potestati delegatæ latam interpretationem adhibendam esse, quam indulgentiarum concessionem: nam concessio indulgentiarum absque causa formali proportionata nulla est: potestatis delegatæ concessio, etiam absque causa valet. Quod verò nec Pontifex, nec delegatus absque legitima causa indulgentias concedere possint, non probat potestatem strictè esse interpretandam: hæc enim vt sit, nullam aliam causam, præter voluntatem concedentis, requirit; sed potius probat, indulgentiarum concessionem ea causa restringendam esse: quod nostræ doctrinæ nullatenus aduersatur. Item si aliquid concedendum est deleganti onerosum, non potestatis concessio; sed usus illius censendus est: Denique ex usu, & non ex potestate periculum insurgit ius diuinum derogandi, & ecclesiasticam disciplinam laxandi. Si igitur concedi Suar. vltim potestatis concedendi indulgentias late esse interpretandum, à fortiori de potestate concedere debet.

Vero similis Aegid. de Coninch. *disp. 12. dub. 4. in fine.* distinguit inter indulgentias viuentibus concessas, & inter concessas animabus Purgatorij per modum suffragij, has, inquam, admittit late esse interpretandas; quia nullum est inconueniens: scilicet verò indulgentias viuentibus concessas: quia ex earum concessione periculum adest enervandi ecclesiasticam disciplinam, & iustum rigorem. Sed neque hæc distinctio probanda est: quia vt superius diximus, non ex indulgentiarum moderata concessione hoc periculum nascitur, sed ex nimia, & immoderata, quæ omnino vitanda est.

6. Ex his ferè inferitur decisio illius quæstionis, an indulgentia tantum valeat, quantum sonat. Et quidem si causa legitima subsit, affirmandum est, tantum valere, quantum verba sonant, secundum eorum proprietatem, & communem usum styliumque receptum. Contingere autem potest, Pontificem existimare, causam sufficientem adesse ad plenariam indulgentiam concedendam, cum tamen in te non adsit, nisi ad tertiam partis concessionem: quo casu indulgentia non valet, quantum sonat; sed causæ commensuratur. Neque hæc deceptio est contra autoritatem Pontificis, cum non pertineat ad res fidei, morumque doctrinam, in quibus ab Spiritu Sancto infallibiliter regitur, sed potius ad humanam prudentiam, & existimationem. Verum esto, speculatione sic possit contingere, practice autem, & moraliter loquendo, vix contingere potest. Nam cum ad validam indulgentiæ concessionem solum videatur exoptulatum, quod concedens indulgentiam prudenter existimet, causam ad illius concessionem sufficientem adesse, credendum non est, Pontificem, neque Episcopum, indulgentias concedentes absque prudenti existimatione causæ procedere: maxime cum semper præsumendum sit, superioris factum iustum esse, nisi contrarium euidenti ratione probetur, iuxta leg. 2. §. Merito, & §. Si quis à principe, sine quid in loco publico, & tradit Crauec *conf. 188. n. 8.* Neque vili inferiori datum est de iustificatione causæ iudicare, argum. text. in cap. Cum inferior. de maioritate & obedienti. Quod si concedens indulgentiam expresserit causam concessionis, nemini permittitur illius insufficientiam probare, sed illi standum est vt rectè Bald. *Conf. 327. n. 10. l. 2.*

7. Difficultas autem superest in applicanda prædicta doctrina casibus singularibus: communiores percurreremus, vt inde alij inferri possint. Et in primis quoad facultatem concedendi indulgentias, dubitari potest an ex eo, quod Pontifex alicui concedat facultatem ad remittenda peccata, censeatur concessa facultas ad indulgentias concedendas. Et ratio dubij est: quia indulgentiarum concessione saltem quoad pœnas debitas, remittitur. Ergo concessa facultate remittendi peccata, concedi censetur facultas præstandi ea, per quæ peccata integrè remittuntur. Ergo concedi censetur facultas indulgentias concedendi. Sed oppositum tenendum est cum Suar. *disp. 56. sect. 1. n. 9.* ex eo, quod sub illis verbis solum potestas remittendi peccata in sacramentali foro continentur, iuxta illud Ioann. 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, &c.* Quibus verbis non potestatem concedendi indulgentias, sed absoluedi à culpis Christus concessit. Adde quod spectato usu, styloque communi, sub remissione peccati absolute sumpta, sola remissio à culpa, & pœna illi aneura intelligitur.

8. Secundo dubitabis, si Pontifex tibi concedat potestatem largiendi indulgentias, vel quascunque indulgentias, an concedat tibi facultatem largiendi omnes indulgentias, quas ipse Pontifex largiri potest, tam quoad quantitatem, quam quoad qualitatem, & numerum? Idemque dubitari potest de Episcopo concedente suo Vicario, vel alteri potestatem concedendi indulgentias. Non enim videtur qualiter hæc concessio indefinita limitem habere possit, cum nulla sit specialis ratio de vna indulgentia potius, quam de alia, præcipue cum dictum sit, potestatem concedendi indulgentias late interpretandam esse, quantum verborum proprietates permiserit. Cæterum dicendum est, esto, ex verbis per se spectatis, nulla sit restrictionis occasio: at spectato stylo communi, & consuetudine recepta, maximam esse. Etenim cum Pontifex concedit alicui potestatem largiendi indulgentias, nullatenus concedere censetur potestatem largiendi indulgentias per modum suffragij, neque indulgentias plenarias: quia hæc iuxta potestatem sunt reueruata; sed solum censendus est concedere eas indulgentias, quas spectato communi iure similibus personis concedere solet. Episcopus verò cum limitata potestate gaudeat indulgentiarum concessione, non videtur inconueniens, si affirmemus, omnem suam potestatem ex vi illorum verborum communicare, nisi forte ex circumstantiis tum loci, tum personæ, tum occasiois facultatis concedendæ restrictio aliqua colligatur, vt bene expendit Suar. *disp. 56. sect. 1. à num. 10.*

Quoad indulgentiarum verò concessionem, cum dixerimus, eam formam seruandam esse, quæ sufficienter concessionem exprimat, inquiri potest, an necessarium sit exprimere quantitatem, seu quantitatem indulgentiæ, vt gr. quadragenæ, septenariæ, vel plenariæ, vel an sufficiat, eam concessionem sub verbis communibus exprimere. Hac in re Suar. *disp. 56. sect. 1. à n. 6.* affirmat, opus non esse, vt quantitatem, vel qualitatem indulgentiæ exprimas, sed eo ipso, quo penitentem absoluis, intentione absoluedi non solum à peccatis, sed à pœnis, tamen expressè non declares, indulgentiam communicari. Quod probat Suar. quia verbum *absoluto*, absolute prolatum extendi potest, tum ad peccata, tam quoad culpam, quam quoad pœnam, tum ad censuras. Ex alia etiam parte penitens intentionem saltem virtualem habet, vt ab omni vinculo absoluetur, in quantum fieri potest. Ergo ex vi illorum verbo



rum manet absolutus quoad penam, atque aded & indulgentia concessa.

70. Ceterum verius existimo, ex supradictis verbis indulgentiam nullatenus communicari. Non enim communitur potest indulgentia, quin sufficienter exprimat: alia sola intentione communicare eam potest, quod nec Suar. admittit. At ex praedictis verbis non satis concessio exprimitur. Tum, quia verbum, *absoluo*, absolute prolatum stat pro famosiori significato, scilicet peccatorum absolutione, ita ut neque ad censuras, neque ad penas extendatur, nisi circumstantia eam extensionem inducant, ut, quia ponens absolutionem a censuris, & penis exposulavit. Ex sola autem petitione virtuali talis extensio induci non potest: nequit enim petio virtualis, utpote solum praesumpta, & non declarata formam, alioqui indifferentem determinare, determinatione, inquam, visibili, & manifesta. Tum, & praecipue, quia indulgentiarum concessio non est sola absolutio a penis debitis, sed distributio, & applicatio satisfactionum Christi, quibus poena debita solvuntur: at sub verbo, *absoluo*, non exprimitur haec solutio. Non igitur ea verba sufficiunt ad indulgentiarum concessionem.

11. Quinimo existimo, necessarium esse, saltem in genere, quantitatem, & qualitatem indulgentiae declarare. Nam, cum verba quasi practica sint, & moraliter efficiant, quod significant, commune autem, & indeterminatum effici non possunt, necessarium aliquam determinationem habere debent. Quod verum est in qualibet alia humana donatione. Quocirca, ut concessio indulgentiae effectum habeat, debes exprimere indulgentiae quantitatem, seu qualitatem, saltem generaliter, dicens: Concedo tibi indulgentiam, quam possum: vel quam licitari potes, vel iuxta indultum mihi concessum. Illud vero est certum, opus tibi non esse exprimere, qua autoritate indulgentiam concedas: id enim potius supponi debet quam declarari, ut bene notavit Suarez *d. sect. 1. numer. 5.*

12. Insuper saepe solet concedi indulgentia plenaria pro mortis articulo. Dubitari autem potest, an concedatur haec indulgentia existenti in periculo mortis, tametsi de facto non moriatur: an vero sit necessarium mortem sublequi? Qua in re dicendum est, regulariter concedi existentem in mortis periculo, esto, mors non sublequatur: sicuti conceditur a reclusis absolutio, quod maxime verum est, si addatur particula, *semel, vel, saepius*: superflua enim esset, si solum pro vero mortis articulo indulgentia concederetur. Atque ita ex Felino *tract. Indulgent. n. 16. Antonin. 1. p. tit. 10. cap. 3. notavit Suar. disp. 56. sect. 1. n. 5.*

13. Denique concedi solet alicui Ecclesiae in Festivitate sui Patroni singulis annis plenaria indulgentia: sub hac tamen clausula, & conditione: *dummodo alia similis Indulgentia concessa non fuerit*, nam ea concessio stante, inquit Pontifex, *praesens concessio nulla sit*. Dubium ergo est, an ea conditio intelligenda sit de concessione facta ab eodem Pontifice, an etiam a praedecessore? Et quidem si conditionem sub his verbis apposuerit: *Dummodo aliam similem Indulgentiam non concesserimus*, verius existimo cum Bonac. *disp. 6. de Indulg. qu. 1. par. 7. circa fin. de concessione facta ab eodem Pontifice intelligi debere*; quia ibi nomen personae exprimit, non dignitatis: ac proinde non concessionem a dignitate factam, sed a seipso restringere velle. Si vero non sub expressione personae, sed potius, Sedis conditio apponatur, ut si dixerit Pontifex: *Dummodo alia similis indulgentia ab hac Sede concessa non sit*, certum videtur ea concessione praesentem, praesentem concessionem nullam esse. At, si solum dixerit: *Dummodo alia concessa non sit*, probabile existimo de solo ipso Pontifice intelligi posse: nam ea verba, cum sint restrictiva, & odiosa, stricte interpretari debent, praecipue cum ex hac stricta interpretatione valor praesentis concessionis pendat, & indulgentiae concessio.

PUNCTUM V.

Qui possint Indulgentias concedere.

1. Petrus, eiusque successores a Christo potestatem acceperunt concedendi Indulgentias.
2. Concilium generale vnitum Capiti, potestatem habet Indulgentias concedendi.
3. Secus in se spectatum.
4. Fit satis oppositis rationibus.
5. Aliqui firmant, Episcopos iure divino potestatem habere Indulgentias concedendi.
6. Verius soli Pontifici hanc facultatem esse concessam.
7. Solvitur oppositum fundamentum.
8. Episcopi est concessa a Pontifice facultas largiendi aliquas Indulgentias.
9. Non extenditur praedicta potestas ad defunctos.
10. Hac potestas Episcoporum est ordinaria.

11. Non habent Episcopi potestatem ullam, praeter concessam in cap. Noltri, & cap. Cum ex eo de poenit.
12. Si excedat Episcopus potestatem, non solum excessum, sed omnem concessionem esse nullam, firmant plures.
13. Verius est, solum in excessu adesse nullitatem.
14. Satisfit rationi contraria.
15. Plures censent, restrictionem factam Episcopis in cap. Cum ex eo de sola publica concessione esse intelligendam.
16. Contrarium dicendum est.
17. Episcopus, esto, consecratus non sit, & extra territorium, concedere sibi subditis Indulgentias potest.
18. Non debet concedens Indulgentias esse excommunicatus.

1. **C**onstat apud omnes Orthodoxos, Petrum, eiusque successores a Christo Domino potestatem accepisse concedendi Indulgentias, eamque, utpote iurisdictionis, aliis communicare posse, sicuti colligitur ex Extraug. *Vnigenitus de poenitent. & remission. cap. Cum ex eo. cap. Quod autem eodem tit.*

2. Concilium generale, si vnitum sit suo Capiti, saltem ratione illius, non est dubium Indulgentias concedere posse: at ab ipso Capite distinctum, ut contingit Sede vacante, existimat Cordub. *quast. 12. de Indulgent. Henric. cap. 31. n. 1. Nauarr. de Indulgent. notab. 31. n. 2.* potestatem habere Indulgentias concedendi. Tum, quia dispensatio bonorum communium Ecclesiae ad Ecclesiam pertinere videtur: at Concilium generale, maxime Sede vacante, Ecclesiam repraesentat: tum, quia plures Doctores existimant, omnibus Ecclesiae Praelatis iure divino concessam esse potestatem concedendi Indulgentias: tum denique, quia haec concessio est actus iurisdictionis, quae Concilio generali competit.

3. Ceterum dicendum est, Concilium generale, siue Pontifice vivente, & ex eius facultate congregatum, siue eo mortuo, ex se nullam a Christo accepisse potestatem concedendi indulgentias, ac proinde solum ex facultate Pontificis eas concedere posse. Sic Suarez. *de Indulgent. disp. 55. sect. 1. numer. 7. Layman. lib. 5. sum. tract. 7. cap. 4. n. 1. Bellam. lib. 1. cap. 11. col. 2. & significavit D. Thom. in 4. dist. 20. quast. 1. art. 4. Durand. quast. 5. ad 2. alias 4. p. quast. 33. alias 83. memb. 3. Richard. art. 5. quast. 3.* quatenus soli Pontifici hanc potestatem tribuunt, nulla facta mentione Concilii generalis. Ratio est: quia Christus Dominus soli Petro dixit: *Pasce oves meas*. solumque Petrus, eiusque successoribus Ecclesiam commisit. Non igitur Concilio generali, ut a Pontifice distincto: alia duae essent vniuersales potestates, & independentes, duoque capita: Item, negari non potest, posse Pontificem Concilio generali prohibere, ne indulgentias concedat. Signum ergo est a Christo Domino hanc potestatem non accepisse. Quod vero Sede vacante, eam potestatem non habeat, probatur, tum rationibus supradictis: tum quia Concilio generali sic congregato solum datum est ea exercere, quae ad regimen Ecclesiae necessaria fuerint, donec electio Pontificis fiat. At Indulgentiarum concessio nullatenus necessaria apparet.

4. Neque rationes contrariae vrgent. Ad primam concedo, dispensationem bonorum communium, quae sub dominio Ecclesiae sunt, ad Ecclesiam pertinere, sicuti dispensatio bonorum alicuius republicae ad ipsam rempublicam, deficiente Principe, pertinet. At dominium thesauri satisfactionum Christi, & Sanctorum, non commisit Christus Ecclesiae, sed soli Petro, eiusque successoribus. Quare, deficiente Petri successore, sibi Christus illius thesauri dominium reuertat, donec successor Petri eligatur. Ad secundam negamus, praelatis Ecclesiae concessam esse a Christo hanc potestatem. Ad tertiam dico, Indulgentiarum concessionem iurisdictionis actum esse: ac nego ad hunc actum iurisdictionem habere Concilium, nisi a Pontifice communicatam.

5. De Episcopis, aliisque Ecclesiae Praelatis plures firmant iure divino potestatem esse concessam concedendi Indulgentias dependentem tamen a Pontifice. Sic Sorus in 4. dist. 21. q. 1. art. 4. Petr. de Soto de Indulgent. quast. 3. Cordub. quast. 10. Rutilius Benzoni de Inbileo, quast. 30. Valen. disp. 7. quast. 10. p. 3. post. princ. Mouentur: qui Episcopi ex officio eandem iurisdictionem habent in sua dioecesi, quam habet Pontifex in vniuersali Ecclesia, dum a Pontifice non restringitur. Ergo habent potestatem disponendi de thesauro Ecclesiae in sua dioecesi fauorem, praecipue cum haec dispositio maxime conuenire videatur ad rectum suae Ecclesiae regimen.

6. Nihilominus tenenda est communior sententia, potestatem concedendi indulgentias nemini a Pontifice Christum concessisse: sed omnem hanc potestatem a Pontifice dimanare debere. Sic Pluribus relatis firmat Suarez *disp. 55. sect. 2. numer. 3. & in finem Coninch. disp. 2. dub. 1. in fine. Laym. lib. 5. sum. tract. 7. cap. 4. numer. 2. Bonac. disp. 6. quast. 1. p. 3. numer. 2. Barbosa 3. p. de potest. Episc. allegat. 88. numer. 5.* nec leuiter colligitur ex Extraug. *Vnigenitus de poenitent. & remission. quatenus soli Petro eiusque successoribus affirmatur, dispensationem thesauri Ecclesiae ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum*



rum commissam esse. Et probari potest primò: quia esto, episcopalis dignitas, eiusque iurisdicção, vt ordinaria, sit instituta à Christo quoad effectum, vt mediis Episcopis Pontifex Ecclesiam gubernaret, iuxta Paul. ad Ephes. 4. & 1. Corinth. 12. ibi: *Posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, Pontificique sit præceptum, vt Episcopo constituto eam iurisdiccionem tribuat, quæ ad rectum suæ diocesis regimen visa fuerit; non inde inferatur Episcopis concessam à Christo esse potestatem indulgentias concedendi, quinimò nec obligationem esse in Pontifice communicandi Episcopis hanc potestatem. Quia potestas necessaria non est ad gubernationem diocesis, sed ea potestate sublata optimè fidelium utilitati, & necessitati consulere possunt. Secundo, concessio indulgentiarum fit per dispensationem thesauri satisfactionum Christi, & Sanctorum: at hic thesaurus, vt pote bonum vniuersalis Ecclesiæ à solo gubernatore illius dispensandus est, sicuti thesaurus alicuius Communis ab eo tantum, qui toti communitati præest, dispensatur. Tertio si Christus Dominus potestatem concedendi indulgentias Episcopis concessisset æquè ac Pontifici, non posset Pontifex absque euidenti, & publica causa, eam potestatem restringere maiori ex parte, sicuti Episcopis restricta est, & ferè in totum sublata. At hæc euidens, & publica causa difficile ostendi potest. Ergo affirmandum est, iure diuino nullum alium præter Pontificem potestatem habere Indulgentias concedendi.

7. Fundamentum oppositum facile solues, si dicas, quemlibet episcopum eam potestatem habere, quæ necessaria est ad gubernationem suæ diocesis, quam habet Pontifex comparatione Ecclesiæ vniuersalis, dum non restringitur, diuerso tamen modo: Nam Pontifex eam habet à Christo, Episcopus verò à Pontifice eo ipso, quo est Episcopus constitutus. At potestas concedendi Indulgentias, quæ necessaria non fit ad diocesis regimen, non censetur ex sola constitutione Episcopi concessa.

8. Cateuim esto, Episcopi non habeant à Christo hanc potestatem concedendi indulgentias, neque Pontifex sit à Christo obligatus eam illis communicare; deicit tamen maxime episcopalem, vt ea potestate gauderet, non quidem absolute, ne per indiseretas, & superfluas indulgentias, quas plures Prælati concederent, si absolutam potestatem haberent, clauis Ecclesiæ contemnerent, & penitentialis satisfactio enueretur, sicuti dicitur in capit. *Cum ex eo. de penitent. & remissionib.* Sed cum limitatione, quam prædictus textus, *Cum ex eo*, subiungit. Etenim ibi statuitur in dedicatione Ecclesiæ, siue ab vno, siue à pluribus Episcopis facta solum vnum indulgentiarum annum concedi posse. In annuario verò dedicationis, vel alias, quando Episcopo placuerit, solum quadraginta dies permittuntur concedi. Quam vltimam indulgentiam potest Archiepiscopus concedere per totam suam prouinciam, & Suffraganeorum dioceses, tamen non fit in actu visitationis, vt colligitur ex cap. *nostro. de penitent. & remissionib.* quia indulgentiarum concessio non est actus iurisdictionis contentioisæ, sed voluntariæ, vt *superius* diximus: & præcipue quia quoad illum actum omnes fideles illius prouinciæ (subditis cententur Archiepiscopis. Sic tradit in præsentibus Cordub. qu. 14. Hennequ. cap. 32. n. 1. Quaranta verbo. *Archiepiscopi auctoritas* num. 31. Bonac. disp. 6. qu. 1. p. 3. num. 2. Barbol. de potest. Episc. alleg. 88. n. 15. Suar. disp. 55. sect. 3. num. 7. Ex quo fit, concessa per Episcopum quadragena visitantibus aliquam Ecclesiam, posse aliam quadragenam ab Archiepiscopo concedi, fideleque visitantes illam Ecclesiam duplicem quadragenam simul lucrari, vt notarunt Henricus. Suar. & Barbol. *suprà*. Quod verò inquit Paludan. in 4. distin. 20. qu. 4. artic. 2. conclus. 4. quem sequitur Layman. l. 5. tractat. 7. cap. 4. num. 2. posse plures Episcopos extraneos singulas quadragenas concedere sibi subditis visitantibus aliquem locum pium à sua iurisdictione alienum, Episcopumque proprium omnes illas indulgentias ratas habere posse pro suis subditis, ac proinde illos subditos posse, simul plures quadragenas lucrari, mihi displicet, sicut & Suar. disp. 55. sect. 3. n. 6. & seqq. Nam esto verum sit, extraneos Episcopos posse loco à sua iurisdictione alieno annectere aliquam Indulgentiam pro suis subditis; quia ea concessio non est facta loco, sed subditis in loci illius specialem commendationem. At nequaquam eas indulgentias ratas habere potest Episcopus proprius illius loci pro suis subditis, quia cum ipse per se suis subditis non possit ampliorum indulgentiam, quam quadragenam concedere, nequit eam concedere mediis extraneis Episcopis, qui ad hunc effectum sibi sunt delegati.

9. Hæc potestas Episcopi, & Archiepiscopi ad concedendas indulgentias, nequaquam extenditur ad defunctos: quia vt colligitur ex dicto cap. *Cum ex eo*. iuncto cap. *quod autem, de penitent. & remissionib.* solum comparatione subditorum hanc potestatem exercere possunt, vt ex communi sententia tradunt Cardinal. Nauar. Cordub. Medin. quos refert, & sequitur Suarez. *disp. 55. section. 3. à num. 9.* Bellarm. *lib. 1. c. 11.* Emmanuel Sa. *verb. indulgentiarum* n. 18. Barbol. *de potest. Episc.* 3. p. alleg. 88. n. 24. Laym. *rr. 7. c. 4. n. 2.* Bonac. *disp. 6. q. 1. p. 3. n. 5.*

10. Porro hæc potestas competens Episcopo, & Archiepiscopo, ordinaria est, non delegata: quippe est iure communi annexa in perpetuum episcopali dignitati, ac proinde eam potest Episcopus delegare. Hæc verò delegatio necessitò Clerico, non laico faciendæ est. Nam, esto, laicus iure diuino non sit incapax concedendi indulgentias ex delegatione, idèoque Pontifex ex plenitudine suæ potestatis possit laico id priuilegium communicare, vt docuit Suarez *disp. 55. sect. 6. num. 3.* Attamen Episcopus nequaquam potest, quippe laicus iure, & consuetudine à functionibus ecclesiasticis alienus est: Clerico verò poterit, tamen si in sacris non sit: quia nullo iure id cauetur, vt ex communi sententia tradit Suarez *loco allegato*, num. 6. Valen. *2. 4. disp. 7. q. 20. p. 3. post. initium.* Azor. *2. p. lib. 3. cap. 55. quest. 5.* Bellarm. *lib. 1. cap. 11.* Emman. *Sa. n. 16.* Bonac. *p. 3. n. 11.* Barbol. *alleg. 88. n. 10.* & alij apud ipsos.

11. Circa hanc potestatem Episcoporum supersunt enodandæ aliquot difficultates, quas Suarez *dicta disp. 55. sect. 3. à num. 11.* optimè expendit. Prima, an restrictio facta Episcopis in dicto cap. *Nostro*. & cap. *Cum ex eo de penitent.* tollat ab ipsis potestatem concedendi ampliorum indulgentiam, vel solum vsum, & concessionem prohibeat. Cui difficultati respondit Suarez ex vi prædictorum textuum sublata esse ab Episcopis potestatem ampliorum indulgentiam concedendi, vt indicant illa verba, indulgentias non amplius extendi, expressèque declarauit Bonifac. VIII. *in cap. vlt. de penitent. & remissionib.* in 6. ac proinde iam non est locus dubitationi.

12. Quapropter est secunda dubitatio, an, si de facto Episcopus ampliorum indulgentiam concederet, quam sibi permillum est, nulla sit ea concessio, non solum quoad excessum, sed etiam quoad illam partem, quam concedere potest: Non desunt graues Doctores, quos refert Suarez *dicta sect. 3. num. 12.* qui id affirmant. Quia illa concessio vnica est, & non multiplex. Non igitur potest ex parte esse irrita, & ex parte valida: quod exemplo optimo Suarez confirmat: Iudex nanque potens condemnare tantum in quantitate vt decem, si condemnet vt viginti, nulla est condemnatio, etiam quoad decem, vt docuit Glossa, Bart. & alij in leg. *vlt. ff. de iurisd. omnium Iudic.* Ergo Episcopus potens remittere tantum quadragenam, si centenam remittat, nulla erit remissio. Confirmarique potest ex cap. *Nostro de penit. & remiss.* vbi Archiepiscopo permittitur, indulgentias in sua prouincia concedere: ita tamen vt statutum Concilij generalis in dicto cap. *Cum ex eo* non excedat. Ergo factò excessu ruit permisso, & facultas, quæ sub ea conditione videtur facta. Deinde in cap. *vlt. de penit. & rem.* in 6. absolute declaratur irritæ indulgentiæ excedentes, & eum non fuerit facta restrictio ad excessum, tota concessio irrita esse debet.

13. Nihilominus verius est, solum quoad excessum irritam esse concessionem; validam tamen quoad terminum concessum. Sic docuit Glossa in cap. *vlt. de penitent. & remissionib.* in 6. & cap. *Cum ex eo. eodem tit. & ibi Abbas.* Suarez *disp. 55. sect. 3. num. 14.* Henricus. *lib. 7. cap. 33. num. 4.* Riccius *in praxi fore ecclesiasticæ* dec. 117. num. 5. in *1. edit. & resolut.* 101. num. 5. in *2. edit.* Nauar. *de indulgent. notab.* 31. num. 16. Azor. *2. p. cap. 55. quest. 6.* Barbol. *3. p. de potest. Episc.* alleg. 88. n. 22. Layman. *lib. 5. sum. tract. 7. cap. 4. num. 2. in fine.* Bonac. *disp. 6. de indulgent. quest. 1. p. 3. num. 4.* Fundamentum sumitur ex reg. iuris 37. in 6. *Vtile non debet per inutile vitari.* quæ regula, vt inquit Gl. in *d. c. vlt. specialiter locum* habet in concessione libera, & fauorabili, qualis est indulgentia. Quod intelligendum est, quando vtile ab inutili separari potest, iuxta leg. 1. §. *Trebatius. ff. de aqua quorid. & cistina.* At in præsentibus separari potest vtile ab inutili. Etenim Episcopus concedens centum dies indulgentiæ, & quadraginta concedit: potest ergo concessio quadragenæ firma persistere, tamen quoad reliquos dies ruat: quia, esto, illa concessio physice iudicialis sit; moraliter tamen diuidi potest, iuxta diuisionem obiecti. Et confirmari potest exemplo communiter recepto. Nemo concedere potest indulgentiam, nisi secundum causam proportionatam. Si autem contingat, causam insufficientem esse adæquatæ concessioni, esse tamen sufficientem partis communiter Doctores censent, eam partem validam persistere; tamen excessus corruat. Ergo idem est dicendum in præsentibus casu. Item; donatio excedens quantitatem in lege taxatam valida est quoad quantitatem à lege permillam: quia est actus liberalitatis, vt probat textus in leg. *Sancimus. Cod. de donationib. & cap. Si quos. de seruic. 12. q. 2.* At indulgentiarum concessio est quædam donatio liberalis. Ergo, &c.

14. Neque fundamentum contrarium vrget: nam ex dictis est solutum. Exemplum verò, quod subiungitur de sententia condemnatoria, est longè diuersum: quippe est odiosum, cum tamen indulgentia fit fauorabilis: illudque est in foro contentioso, in quo ob eius rigorosam solemnitatem leuis defectus solet sententiæ vitare: tunc verò in foro voluntario. Preterquam quod ibi est consuetudine introductum, sententiam respicientem causam, quæ excedit limites, & terminos iudicæ.



15. irritam esse omni ex parte quod tamen in indulgentiis introducitur non inuenitur. Ad textum in cap. *Nostro* facilis est solutio, si dicas, ibi non concedi Archiepiscopo potestatem concedendi quadragenam Indulgentiam sub ea conditione, ne excedat illum terminum, sed sub advertentia, & monitione, ne illum terminum excedat sicuti constat ex cap. *de penitent. & remiss. in 6.* Ad textum in dicto cap. *vt. respondeo*, esto, ibi non declaratur indulgentias excedentes irritas esse solum quoad excessum: at ex benignitate sic interpretamur, tum ob dicta; tum vt valor actus, & sententia, quoad fieri potest, sustineatur.

16. Tertia, & grauior dubitatio est, an hæc restrictio facta in cap. *Cum ex eo.* solum de concessione publica, communi, & solenni intelligenda sit; non verò de secreta, & maxime in foro sacramentali? Non desunt graues Doctores, sentientes, de concessione publica esse restrictionem intelligendam, ac proinde Episcopum posse secretò concedere omnes eas indulgentias, quas iure antiquo ante restrictionem factam concedere poterat. Sic docuit Syluest. aliis relatis, *verbo Indulgentia, n. 1.* Inclinat Emman. *Sa num. 15.* nec reputat improbabile Valen. *1.4. disp. 7. quest. 20. p. 3. vers. Innocentius.* Fundamentum est: quia potestas, quam Episcopi habent, forè ex iure diuino, non fuit limitata in Concilio Lateranen. nisi in eo genere concessions, in quo ea abutebantur, vt colligi videtur ex dicto cap. *Cum ex eo.* At abusus solum erat in concessione publica, & generali. Ergo pro concessione secreta potestas integra, & illimitata persistit.

17. Ceterum omnino dicendum est cum Suarez *disp. 55. sect. 7. num. 15.* limitationem pro qualibet concessione factam esse: quia textus in dicto cap. *Cum ex eo.* vtitur particula negatiua: *Non excedat. Non extendatur.* & cum nulla fuerit apposita limitatio, de qualibet concessione intelligi debet. Præterea ratio, & finis limitationis in qualibet secreta concessione procedit: siquidem ex nimia Indulgentiarum concessione etiam secreta, enervari potest satisfactio penitentialis. Et licet non ita frequenter hæc secreta concessiones contingant, sufficit, quòd aliquando succedant: quod periculum voluit Concilium præcauere. Præterquam quòd Episcopi scientes, in secreta concessione non esse sibi facultatem restrictam, sapissimè illa vterentur, tum per se ipsos, tum mediis Sacerdotibus, quibus hanc potestatem delegare poterant.

18. Supererat dicendum, an Episcopus extra suum territorium concedere indulgentias possit, & an debeat esse consecratus. Sed hæc questio nullam habet difficultatem, & parum soluta est *punct. 1.* Item, cum concessio Indulgentiarum non sit actus iurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, neque strepitum iudicij contineat, vt omnes Doctores fatentur, teste Suarez *disp. 49. sect. 3. num. 9.* & *disp. 55. sect. 3. numer. 17.* Riccio *resolut. 36. num. 5.* manifestum est, extra territorium sibi subditis, vbicumque existant, concedere posse sicuti tradit Glossa in dicto cap. *Nostre, de penitent. & remiss.* Nam, cum non sit actus Ordinis, sed iurisdictionis, ad bonum Ecclesie perticiens, non indiget Episcopos ad eum exercendum consecratione.

19. Monent tamen communiter Doctores, & bene Valen. *1.4. disp. 7. quest. 20. punct. 3.* Suarez *disp. 55. sect. 3. numer. 18.* & 19. Barbosa *3. de potest. Episc. alleg. 88. num. 12.* Bonac. *disp. 6. quest. 1. p. 3. num. 8.* Episcopum, & quemlibet alium indulgentias concedentem, non debere esse excommunicatum: quia exercitio iurisdictionis, saltem licito, priuatus est: si verò sit excommunicatus denunciatus, etiam potestate ipsa priuatus existit. Quinimò neque suis subditis concedere valet potestatem, vt ab alieno Episcopo indulgentias obtineant: quia illa concessio est quædam iurisdictionis delegatio alieno Episcopo facta: qua tamen excommunicatus vitandus priuatus est.

PUNCTUM VI.

Expenduntur alij, de quibus est aliqua dubitatio, an possint Indulgentias concedere.

1. Primas, seu Patriarcha in solo suo Archiepiscopatu indulgentias concedit.
2. Capitulum, Sede vacante, esto, aliqui consentiant indulgentias concedere posse, verius est oppositum.
3. Neque Vicarius generalis Episcopi ex vi Vicariatus indulgentias concedit.
4. Prelati Episcopi inferiores potestate non gaudent concedendi indulgentias.
5. Consuetudine acquiri non posse potestatem concedendi indulgentias, plures consent.
6. Verius est oppositum.
7. Soluitur oppositum su adamentum.

8. Prelati Religionum qualiter benefactores participes efficiunt bonorum operum suorum Religiosorum.
9. Ea vi huius moralis unionis plures indulgentias dictis benefactoribus communicantur a Sede apostolica.
10. Ob bona opera Religiosorum sic coniunctis Deus benefacit.
11. Petitiones benefactorum ob hanc coniunctionem efficaciorum vim habent impetrandi.
12. Orationes communes illis applicantur.
13. Orationes Religiosorum, que illis directe applicantur, efficaciores sunt.
14. An prelati possint subditis præcipere, opera satisfactoria in fauorem alicuius determinate applicare.
15. Posse Prelatum satisfactiones subditorum immediatè applicare plures consent.
16. Verius est non posse independentem ab operante.
17. Satisfis opposito fundamento.

1. Præter Episcopos sunt alij aliqua ex parte Superiores, vt sunt Primas, Patriarcha, Cardinalis, Legatus à latere, Summus Penitentiarius; de quibus dubitant Doctores, an potestatem habeant indulgentias concedendi?

Et breuiter respondeo, Primatem, seu Patriarcham in solo suo Archiepiscopatu, sicuti Archiepiscopus (quippe in solo illo habet iurisdictionem) indulgentiam concedere posse, non verò in tota sua prouincia, seu regno; in quo iurisdictionem non exercet. Neque est vllus textus, ex quo hæc extensio colligi possit. Quinimò ex cap. *Nostro, de penitent. & remissionib.* restrictio colligitur; cum pro solo Archiepiscopatu sit facta concessio, Cardinalis verò, seu Legatus à latere nullam ex vi iuris communis potestatem habent, argum. text. in cap. *Accedentib. de excessib. Prelat.* vbi Indulgentiarum concessio episcopali dignitati tribuitur, vt propria. At ex speciali, imò generali per consuetudinem approbata commissione, non solum potestatem habent Episcopi æqualem; sed amplioem, vt docent Palud. in *4. dist. 20. art. 2. concl. 3.* Layman. *lib. 5. sum. tract. 7. cap. 4. n. 3.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 1. cap. 55. quest. 6.* Valen. *1.4. disp. 7. quest. 20. p. 3. vers. Porro.* Barbosa *alleg. 88. n. 16.* Quapropter, vt bene inquit Suarez *disp. 55. sect. 3. numer. 22.* spectanda est consuetudo, seu specialis commissio, sicuti de summo Penitentiario testatur Paludan. Azor. Barbof. habere potestatem muneris proprio annexam concedendi centum dies indulgentia.

2. Secundo, de Capitulo, Sede vacante, plures consent, Indulgentias concedere posse. Syluest. *verbo Capitulum, nu. 10.* Riccio in *praxi aurea, resolut. 222.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 3. cap. 37. q. 9. & cap. 55. quest. 4.* Lazarius *verbo, indulgentia, num. 47.* Praxis Episcopi. *1. p. verbo, indulgentia, nu. 2.* Barbof. *alleg. 88. num. 21.* & alij plures relati ab Azor. *dicta quest. 9.* Mouentur: quia Capitulum succedit Episcopo in his, quæ sunt iurisdictionis episcopalis, nisi in casibus iure exceptis, iuxta textum in cap. *Si Episcopus, cap. Ecclesia, de supplicanda negligent. Prelat. in 6. c. 15. cui de elect. eodem lib. & tradit Federic. cons. 10. Ioann. Andr. in cap. cum olim de maiorit. & obediem. Rebuff. *prax. benedict. 1. p. tit. de deuolutionib. n. 58.* Pavin. *tract. de capitulo, Sede vacante, 1. p. q. 1.* At nullibi inuenitur excepta indulgentiarum concessio. Ergo competit Capitulo, Sede vacante.*

Verius tamen censio oppositum: nam esto Capitulum succedat Episcopo in iurisdictione episcopali ad regimen diocesis necessaria; secus verò in iurisdictione, quæ necessaria non est, sed solum conueniens, quæque competit Episcopo ob specialem eius dignitatem. At indulgentiarum concessio est huiusmodi, vt colligitur ex cap. *Nostro, de penitent. & remissionib.* Ergo. Atque ita tradunt. Archidiacon. *cap. 1. de penitent. & remiss. in 6.* Cardin. *cap. Accedentib. de excessib. Prelat. Clement. 1. de Hæretic. Gasp. Calderin. repeti. super text. cap. Nostro, de penitent. Sotus 4. dist. 21. q. 1. artic. 4. vers. Hinc fit.* Cordub. *de indulgent. art. 2. q. 12. proposit. 9.* Henric. *cap. 31. n. 4.* Grafis in *append. lib. 2. c. 2. num. 9.* Bonac. *disp. 6. qu. 1. p. 3. n. 27.* Suarez *disp. 55. sect. 4. n. 5.*

3. Tertio, neque Vicarius generalis Episcopi, esto, cum Episcopo eandem constituat personam, iurisdictionem habet ex vi Vicariatus, concedendi indulgentias, nisi ei fuerit expressè ab Episcopo commissa: quia indulgentiarum concessio, episcopali dignitati referuatur, actusque gubernationis est non necessarius, sed voluntarius. Azor. *2. instit. moral. lib. 3. cap. 45. q. 13. & c. 55. quest. 5.* Suarez. *disp. 55. sect. 4. n. 5.* Bonac. *disp. 6. q. 1. p. 3. n. 10.*

4. Quarto, Prelati Episcopo inferiores, vt sunt Abbates, Priores Religionum, Prouinciales, & Generales, esto, dignitatem quasi episcopalem habeant; iurisdictione tamen concedendi indulgentiam iure communi spectato nullatenus gaudent, vt probat text. in cap. *Accedentib. de excessib. Prelat. & tradit Suar. disp. 55. sect. 4. numer. 4.* Filluc. *tract. 8. cap. 4. quest. 6. num. 90.* Bonacina *disp. 6. de Indulgent. qu. 1. pun. 3. in fine.* At tamen ex priuilegio plures solent habere potestatem aliquas indulgentias



concedendi: quod cum ex facto pendeat, attentè inuestigandum est. Ex longuina autè cõsuetudine optimè præsumitur, vt tradunt Sorus in 4. dist. 21. qu. 1. art. 4. Cordub. de Indulgent. qu. 10. sub finem. Valen. dist. 7. qu. 20. pun. 3. vers. Porro. Moneat tamen Doctores, maximè Nauarr. de Indulgent. notab. 30. num. 14. spectandum esse priuilegium indulgentiarum Religionibus concessum; an inquam, concessum sit ipsis prælati, vt indulgentiam subditis, aliisque personis communicare possint: an verò immediate à Sede Apostolica ipsis religiosis, aliisque religionis benefactoribus, vel religionis Ecclesiam visitantibus concedatur; plerumque enim hoc modo conceditur: quo casu Prælati religionis, aliique religiosi indulgentiam denunciare debent, non à se, sed à Sede apostolica concessam.

5. Duplex autem quæstio superest examinanda. Prima, an ex consuetudine prædicti Prælati possint obtinere facultatem indulgentias concedendi, & an Episcopi valeant conferre potestatem ampliolem, quàm illis est iure concessa? Negant Turrecrem. §. Item. in lustrico. de penitent. dist. 1. num. 43. Nauarr. de Indulgent. notab. 31. num. 7. Sorus in 4. dist. 22. qu. 1. artic. 4. Cordub. de Indulgent. qu. 10. propos. 11. dub. 1. Suar. dist. 55. sect. 3. n. 3. Valen. 1. 4. dist. 7. qu. 20. pun. 3. vers. Porro. Moneatur: quia abique voluntate Pontificis nequit aliquis potestatem habere indulgentias concedendi: at consuetudo à Pontifice ignorata efficere non potest, quod Pontifex eam habeat voluntatem. Ergo ex vi consuetudinis nequit aliquis hanc potestatem obtinere. Similis discursus efformari potest in potestate absoluenti peccatis non posse, inquam, consuetudine acquiri, cui fauere textus in cap. 1. de penit. et remiss. in 6. vbi dicitur, nulla consuetudine introduci posse, vt aliquis, præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat.

6. Ceterum tractat. de penitent. probatur reliquimus consuetudine acquiri iurisdictionem posse pro peccatorum absolutione, ideoque à fortiori dicendum exitimo, acquiri posse pro concessione Indulgentiarum, sicut docet Gloss. in c. Accedentibus. de excess. sibi. Prælati. & ibi Hosti. & Panormit. nu. 2. Et colligitur ex prædicto textu quatenus Prælati Episcopo inferioribus negat potestatem concedendi indulgentias, nisi ex speciali commissione, vel alia legitima causa obtinerint. At nulla alia legitima causa esse potest, præter consuetudinem, quæ illis iurisdictionem concedat, iuxta cap. Cum contingat. de foro. compet. Ergo, &c. Deinde ea ratione probatur: quia consuetudinem introducentes non sibi arrogat iurisdictionem, sed ea consuetudine legitime præscripta, Pontifex sua lege publica lata in c. fin. de consuet. eam iurisdictionem concedit. Quapropter opus non est, quod Pontifex consuetudinem agnoscatur: sufficit eam sua lege approbasse, & efficaciam concessisse.

7. Ex quo solummodo manet fundamentum oppositum: nam consuetudo legitime præscripta non ponit de nouo in Pontifice voluntatem de hac potestate communicanda: sed eam supponit firma lege stabilitatem. Ad textum in cap. 2. de penitent. et remission. latissimum: etenim consuetudo introducta à subdito eligendi confessorem, præter sui superioris licentiam, nequaquam potest esse legitime præscripta, vt potest mala fide introducta, & cõtinuata. Erat, aliquo ex errore, & ignorantia ea electio procederet, nequaquam efficax esse potest ad eligendum alienum Sacerdotem: quia electio subditi non concedit iurisdictionem, sed supponit. Si tamen sacerdos bona fide procederet, credens probabiliter sibi traditam esse iurisdictionem ministrandi Sacramentum alienis subditis, & ex hac probabilitate ministraret tempore requisito ad consuetudinem introducendam, credit Nauarr. in cap. placuit. dist. 6. de penit. n. 40. et 42. quem refert, & sequitur Layman. l. 5. sum. tr. 7. c. 4. n. 4. iurisdictionem obtinere.

8. Secunda quæstio est, qualiter Prælati religionum personas de religione bene meritas participes efficere possint bonorum operum, quæ à religiosis præstantur. Mos enim est non solum prælati, sed antiquus, vt Prælati cooptent aliquos insignes benefactores in fratres religionis, eoque quasi illius membra constituent, sibi que vniant, & omnium gratiarum, & honorum operum, quæ in religione præstantur, efficiant participes. Nam teste Thoma Valden. 2. p. in lib. de Sacramental. tit. 10. c. 98. contra Poteleph. Vno Carnotensis participem facit suffragiorum Ordinis regularis B. Ionnis Baptistæ à se instituti Adeellæ, seu Adellæ Comitissæ, prout ipse refert in epistol. ad eandem. & D. Anselmus episc. 98. eidem Comitissæ simile priuilegium pro suo ordine concessit. Quod etiam concessit Regi Gallie Stephanus quidam Abbas Cisterciensis, sicut colligitur ex D. Bernardo episc. 45. Ex hac autem concessione, ne, ac beneficio, quem fructum prædicti fratres assequuntur, non est facile explicari. Et vt certa ab incertis separemus.

9. Primum dicendum est, ex vi huius vnionis plures gratias & indulgentias à Sede apostolica ipsis concedi aliàs non concedendas, vt constat ex priuilegiis Ordinum mendicantium, vt b. Fran. 181. & notauit Hentiqu. l. 7. c. 19. m. vlt. Suar. dist. 55. sect. 5. in fine. Laym. l. 5. sum. tr. 7. c. 4. in fine.

10. Secundo, ob bona opera præstita in religione, Deus

religionis coniunctis beneficet, saltem ex quadam congruitate & honestate. Negari enim non potest, obsequia à iustis præstita mouere aliquo modo Deum, qui piissimus est, vt non solum ipsis, qui ea præstant, sed & sibi amicis, & coniunctis benefaciant: tametsi ea opera in eum finem non referant, hoc enim lex amicitie postulat, quam Deus optimè seruat. Atque ita tradit Adrian. quodlib. 8. Cord. de Indulg. q. 42. Suar. dist. 55. sect. 5. n. 11. Laym. lib. 5. sum. tr. 7. c. 4. circa finem. Rodrig. 1. 1. q. regul. 33. art. 2. et 4.

11. Tertio, petitiones ipsorum benefactorum efficaciorum vim impetrandi habent, si ob bona opera in religione facta à Deo aliqui postulent: quia postulant ob bona opera amicorum, quibus ipsi specialiter sunt vniti, vt bene notantur prædicti Doctores supra.

12. Quarto, sæpe orationes & sacrificia communia sunt nomine totius Religionis pro ipsa religione, eiusque membris: quo casu non est dubium sic vnitis prædicta suffragia prodesse, saltem vt Deus illis beneficia pura largiatur: siquidem pro eis impetrandis Religio ea suffragia fundit ex directa intentione. Quod maxime verum habet, si ipsimet religiosi, qui orationes fundunt, eam habent intentionem: tametsi, vt inquit Suar. dist. sect. 5. n. 12. verisimile est, Prælati intentionem sufficere, vt pro qui religionem gubernat, & nomine religionis ea suffragia fundantur, credique debet, singulorum intentionem Prælati intentioni conformari.

13. Quinto, orationes religiosorum, quæ ex directa intentione in bonum sic coniunctorum Deo offeruntur, efficaciorum vim habent impetrandi, eam habent pro extraneis esse oblatæ: quia digniores sunt, & perfectioni charitatis, quæ primò respicit coniunctos, quàm extraneos, magis conformes, sicut notantur Suar. & Layman. loc. alleg. Et licet Laym. dido tr. 7. cap. 4. in fine. seruat prædictas orationes pro pluribus applicatas vim impetrandi diminueret: tamen si applicatio eorum directè, & distinctè pluribus fiat, ac si pro singulis fieret, verius existimo oppositum cum Cordub. de Indulgent. quæst. 39. dist. 6. Rodrig. 1. 1. q. regul. quæst. 33. art. 2. Valen. 1. 4. dist. 7. quæst. 20. p. 3. vers. Orationes. quia efficacia impetrationis non tam nititur operis dignitati, quàm diuina liberalitati: quæ infinita est, ac proinde ex operis limitatione non restringitur.

14. Conrouersia igitur est, an Prælati bona opera suorum religiosorum subditorum, quatenus satisfactoria sunt, possint applicare, & de facto applicant personis sic religioni vnitis, siue ipsi religiosi illorum satisfactione indigeant, siue non.

Et in primis plures censent, posse prælatum mediàtè iis fratribus ea satisfactoria opera applicare, præcipiendo, inquam, subdito, vt ea pro iis fratribus applicet: quo præcepto positò tenetur subditus eam facere applicationem. Sic docuit Sorus in 4. dist. 21. quæst. 1. artic. 4. circa finem. Cordub. 4. quæst. 42. p. 1. dub. 5. Rodrig. 1. 1. q. regul. quæst. 33. art. 3. Suar. dist. 55. sect. 5. n. 8. Valen. dist. 7. quæst. 20. p. 3. circa med. Layman. lib. 5. sum. tr. 7. cap. 4. vers. Accedit. circa finem. Bonac. de Indulgent. dist. 6. q. 1. p. 3. n. 19. Ratio est: quia non videtur hoc præceptum alienum à superioris iurisdictione. Nam cito applicatio sit actus internus, est tamen operis externi circumstantia, proceditque à voluntate, quæ superioris per votum obedientiæ perfectè subiecta est.

Ceterum hæc doctrina mihi difficilis est. Primum quia religiosi voto obedientiæ solum astringuntur obedire Prælati iis, ad quæ à Pontifice accipiunt iurisdictionem. At à Pontifice non accipiunt iurisdictionem ad precipiendos actus merè internos, nisi ad summum, quatenus sunt necessarii ad aliquid actus externi præcepti constitutionem: siquidem neque ipse Pontifex eam iurisdictionem habet. Ergo non possunt precipere subditis, vt satisfactionem suorum operum alicui applicent: quia hæc applicatio est actus merè externus, & omnino extrinsecus operi satisfactorio, ac proinde neque in se, neque in opere externo iudicari à prælati potest: ergo nec precipi. Adde si prælati potest precipere subdito satisfactionis applicationem in fauorem alicuius determinari, hoc præceptum non solum obligat subditum ad executionem operis externi de se satisfactorij, sed etiam vt de facto satisfactorium sit: aliàs solum applicatio satisfactorij dubia, & incerta præcepta erit. At præceptum prælati extendi posse ad certam satisfactionem applicandam impossibile videtur, cum hæc dependeat ex gratia, aliisque circumstantiis homini incognitis. Quod si dicas, precipi posse subditis, vt quantum ex se est, satisfactorium opus exequantur, durum, & difficile præceptum videtur, & non leuibus scrupulis expositum. Non igitur hoc præceptum imponere possunt. Atque ita docuit Sorus quodlib. 20. Neque inde fit, non obligari religiosi ad applicationem satisfactorij, & orationum pro fundatoribus, aliisque, à quibus religio stipendia accipit: quia eo casu non obligantur ex superiori præcepto, sed ex contractu ab ipsis, vel à religionis prælati factò, cui ipsi tacite consenserunt. Quod verò tribuit Sorus, Valen. Rodrig. Suar. loc. alleg. urgente causa graui, precipere publica, & communi, posse prælatum precipere subditis, non solum



vt satisfactio superabundans applicet, sed etiam eas, quibus alioquin indigenti mihi probatur admissio posse prelatum applicationem absolute precipere: quia detrimentum, quod inde subditis provenire potest, levis momenti est, commendandumque videtur ob publicam necessitatem: precipue cum aliunde facile compensari possit, & sufficienter videatur compensatum merito illius applicationis provenientis a charitate, pietate, & obedientia: tamen contrarium sentiat D. dac. Nuñez in addit. ad 3. p. q. 25. art. 3. diff. 1. & q. 26. art. 1. conc. 6. Bonac. diff. 5. q. 1. p. 3. n. 21.

15. Porro non solum mediare, sed etiam immediate censent grauilissimi Doctores, posse Prælatum satisfactionem operis religiosi a suis subditis præstiti, verbi gratia ieiunij, orationis, corporis castigationis, pro benefactoribus applicare, siotti possunt ipsi subditi. Sic docuit Nauar. de indulgent. not. tab. 31. n. 18. Cordub. dicta quæst. 39. dicto 3. & segg. Rodrigu. quæst. 33. artic. 2. & 4. Henric. l. 7. cap. 31. num. 6. Man. Prælat. tom. 2. quæst. 50. art. 2. & 3. Valent. disp. 7. quæst. 20. punct. 3. ante medium. Mouvitur: quia subditorum voluntates, maxime religiosorum, superiori subiciuntur, ita vt contra voluntatem superioris nec velle, nec nolle habeant. At nequam conferentur subiectæ, si superior non æque possit, ac subditi, de rebus que subditorum voluntati subunt, disponere. Ergo æque, & efficacius quàm subditi, applicare satisfactioes potest.

16. Contrarium nihilominus verius existimo, scilicet, Prælatum non posse independenter a subditi intentione opus illius satisfactorium applicare. Sic docuit Suar. disp. 55. sect. 5. & n. 10. Laym. l. 3. sum. tr. 7. c. 4. n. 5. conc. 1. & 2. Ratio ea est: quia satisfactioes præteritas nemini applicatas, vel applicatas habenti obicem, nec Prælatum, nec subditum, qui ea opera satisfactoria præstitit, alicui applicare potest, vt docet communis sententia cum Durand. in 4. dist. 20. q. ult. n. 6. Nauar. de indul. not. 31. n. 18. Soto dist. 21. q. 2. art. 1. Cordub. q. 39. dict. 4. Rodrigu. not. q. 33. art. 3. art. ult. Suar. disp. 55. sect. 5. n. 6. Valent. l. 4. dist. 7. q. 20. p. 3. ante med. Laym. tr. 7. c. 4. n. 5. conc. 1. Bonac. disp. 6. de indul. q. 1. p. 3. n. 19. Etenim operi, dum fit satisfactio, conceditur, que sub dominio operantis est, sicut & opus: at opere præterito, illius dominium cessat in operante, & consequenter satisfactiois dispositio, cui non obstat, quod perente opere satisfactorio, non percat illius satisfactio, sed moraliter ex Dei benignitate persistat in diuina acceptatione: quia sic ibi persistit, vt in thesauro Ecclesiæ aggregetur, neminique alicui a Pontifice concedatur de ea disponere: quia nullus alius, præter Pontificem, vt dictum est, potestatem habet thesaurum Ecclesiæ distribuenti aliis vere, & proprie indulgentias prælati concedere.

Satisfactioes verò futuras non videtur posse Prælatum sua intentione efficaciter applicare: quia non subduntur eius dominio, & dispositioni, sed dispositioni subditorum. Nam votum obedientiam non priuauit subditum libera, & licita facultate quam habebat disponendi de suis actionibus. Superiore inconsulto; absoluta tamen, & valida dispositione nequam priuate potuit. Quod si penes subditum est dominium suarum satisfactorum, & nullo modo penes prælatum: nequit prælatum independenter a subdito valide eas satisfactioes applicare: quia applicaret rem non suam, seu sub eius dominio non existentem. Et confirmari potest: quia plures doctores sentent vt defendit Bonac. supra n. 20. Si Prælati vni applicet satisfactioem subditi; ipse verò alteri, applicationem subditi subistere, corrumpere tamen, Prælati applicationem. At ex hac doctrina manifestè inferitur, voto obedientiam dominium suarum actionum non abdicasse, nec in Prælatum transfuisse. Ergo Prælatum de satisfactoribus subditorum non potest immediate disponere.

7. Fundamentum oppositæ sententiæ ex dictis solum est: subditiur enim subditi suo Prælati, vt iuxta eius voluntatem dispositionem suarum actionum præstent: at subiectio non præstat Prælati potestatem de subditorum actionibus per se, & immediate disponendi, præcipue de actionibus mere interitis, & que iurisdictioni Prælati subiciuntur. Eodem modo explicandum est illud axioma, quod religiosus non habeat velle, nec nolle, liberum, inquam, & licitum independenter a voluntate Prælati in iis, que Prælati iurisdictioni subunt.

PUNCTUM VII.

De causa ad indulgentiam requisita.

1. Requiritur causa pia & honesta.
2. Ad licitam concessionem debet esse causa concessioni proportionata.
3. Item, ad validam concessionem ex communiore sententia.
4. Soluitur fundamentum oppositum.
5. Semper præsumendum est, causam sufficientem adesse.
6. Etsi, indulgentia concessio ob defectum causa non teneat, alicui tamen concessiones absoluedi, & dispensandi, firma persistunt.

Ferd. de Castro, Sum. Mora. Pars IV.

7. Quamuis causa insufficientis sit ad integram indulgentiam concessionem, si sufficiat ad partem, comparatione illius partis valet concessio.

8. Sufficientia causa præcipue ex fine desumitur. Item ex opere iniuncto, aliisque circumstantiis.

1. Causam piam, & honestam necessariam esse, non solum vt licite, sed etiam vt valide indulgentia concedatur, firmant contra Paludan. in 4. dist. 21. q. 4. art. 1. ferè omnes Doctores, D. Thom. in Supplem. q. 23. art. 2. Bonau. in 4. dist. 20. p. 2. art. 1. qu. 6. Sotus dist. 21. q. 2. art. 2. Caiet. de indulg. tr. 9. q. 1. & tr. 15. c. 4. qu. 1. Nauar. de indulg. not. 15. num. 17. Cordub. q. 17. Henr. l. 7. c. 14. Valen. l. 4. dist. 7. q. 20. p. 4. in pr. Suar. disp. 54. sect. 1. & 2. Coninc. disp. 12. dub. 6. Laym. l. 5. tr. 7. c. 5. n. 1. Emm. Sà indulg. n. 4. Bonac. disp. 6. de indulg. p. 4. n. 1. & alij communiter. Summirurque ex Innoc. III. in c. Cum eo de poenit. & remiss. ibi enim reprobandur indulgentiæ indiscretæ, quæ aliæ esse non possunt, quàm concessæ abique causa. Expressit ex Clem. in Extrauag. Vnigenitus, de poenit. & remiss. ibi: thesaurum Ecclesiæ dispensandum esse propriis, & rationabilibus de causis. & ex Leone X. in epist. ad Caietan. seu Bulla condemnationis Lutheri, & Martino V. in fin. Concil. Constantiens. afferentes, suspectos de heresi interrogandos esse, an credant, habere Pontificem potestatem concedendi indulgentias ex causa rationabili. Ratio est: quia Pontifex in concessione indulgentiarum non procedit, vt dominus, sed vt dispensator. Quippe satisfactioes Christi, & Sanctorum sub dominio Christi sunt, & earum distributio Pontifici conceditur, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. At dispensator non solum illicite, sed etiam inualide dispensat, si dispensationem faciat contra sui domini voluntatem. Ergo Pontifex satisfactioes Christi, & Sanctorum abique causa dispensans, non solum illicite sed inualide dispensat: quippe dispensat contra voluntatem Christi, que cum semper fuerit de gloria Patris, eam per suos ministros in dispensatione proprii thesauri exequi, & adimpleri intendit.

Quod si dicas, eam gloriam sufficienter obtineri ex eo, quod reus pœnæ soluendæ a vinculo, & obligatione soluitur: est enim actus spiritualis misericordiam diuinam liberalitatem, & benignitatem commendans. Non igitur est alia causa extrinseca acquirenda, præter eam, quam secum trahit indulgentiæ concessio, vt licita, & valida sit. Obstat, quia legalis iniuria, cui misericordia repugnare non potest, exigit ne condemnatus ad subeundam pœnam ab ea soluat gratiæ, & abique vlla alia causa, præter bonum ipsius damnati. At peccator iure diuino condemnatus est subire pœnam pro peccatis debitam, ergo ob benefaciendum illi tantum nequit Pontifex solutionem concedere. Præterea potestas, quam Christus Pontifici reliquit, non fuit in damnium fidelium, sed in eorum commodum: neque in Ecclesiæ distinctionem, sed in illius ædificationem: at si posset Pontifex prohibito valide saltem, indulgentias concedere, ea potestas cederet in damnium fidelium, & in Ecclesiæ destructionem. Quippe fideles abique vilo timore pœnæ, peccarent scientes, sibi pœnam gratis condonari posse, sacramentales pœnitentiis sibi iniunctas contemnerent, & ecclesiastica disciplina prorsus eneuaretur. Ergo non est credendum, hanc a Christo fuisse potestatem concessam.

2. Sed, an requiratur ad concessionem indulgentiæ, non solum causa pia, & honesta, sed concessioni proportionata, non est ita certum. Et quidem ad licitam concessionem affirmant ferè omnes Doctores, causam proportionatam concessioni requiri. Prudens enim & fidelis dispensatio expostulat, ne abundantior remissio abique grauiori causa fiat. Colligiturque manifestè ex cap. Cum ex eo. de poenitent. & remissionib. vbi indulgentiæ indiscretæ reputantur ob defectum causæ proportionatæ. At plures negant causam proportionatam requiri pro valida concessione, quos plena manu refert Bellarm. l. de indulgent. cap. 12. & sequuntur Valent. disp. 7. quæst. 20. part. 4. circa finem, vers. Est igitur quarta. Reginal. in practi. tom. 1. l. 7. n. 112. Emm. Sà verbo indulgentia, num. 1. Bonac. disp. 6. de Indulgent. quæst. 1. punct. 4. n. 5. Mouvitur: quia concessio indulgentiæ ex qualibet causa pia, quamuis minima, est iuxta intentionem Christi, saltem quoad eius valorem: tum quia fit ex causa cedente in honorem Dei, quam plurius Christus, & Sancti æstimant, quàm proprias satisfactioes: tum ne Pontifex decipiatur in indulgentiis concedendis in non leue Ecclesiæ detrimentum: tum, quia moraliter est impossibile, æqualitatem causæ cum indulgentiæ concessione inuenire.

3. Communior tamen sententia, & tenenda affirmat, ad valorem indulgentiæ requisitam esse causam conuenientem, & proportionatam, iuxta prudens concedentis arbitrium. Sic Caietan. in Opus. de indulgentia, quæst. 1. & 2. Cordub. quæst. 20. Bellarm. dicto libr. 1. cap. 12. Henric. cap. 14. num. 3. Suar. disp. 54. sect. 3. num. 5. Coninc. disp. 12. dub. 6. conclus. 2. numer. 31. Laymann. libr. 5. tract. 7. cap. 5. num. 1. & alij apud ipsos. Ratio est: quia ea ex parte, qua indulgentia causam excedit, concessio censetur facta abique causa pia, iuxta, & rationabili



habili, & honesta: quinimò absque causa, cum causa quæ adest, secundum rationem, & iustitiam minorem concessionem exigat. Notanter dixi, *iuxta prudens concedentis arbitrium*. Non enim credendum est, Christum Dominum potestatem Pontificis in concedendis Indulgentiis restrinxisse ad æqualitatem, & proportionem causæ in se spectatæ, ob ea incommoda, quæ opposita sententia inferebat: sed credendum est, solum expositulasse causam prudenti arbitrio æqualem: quia hæc ratio est fidelis, & prudens dispensator. Neque his obstat, quod Sacramenta, etiam si prudentissimè concedantur, vel recipiantur, non operari suos effectus ex dispositione existimata, nisi dispositio requisita de facto, & in re existat: neque sacrificium, aut indulgentia applicata habenti obicem, poenam remittit; tamen si prudenter credatur effectum habitura: quia est latum discrimen à concessione Indulgentiæ: hæc enim procedit à concedente ex potestate, quam habet regendi Ecclesiam, ac proinde expeditat valorem illius pendere ex sola prudenti gubernatione, & gratia, reliquique sacramentorum effectus, poenæque pro peccatis debita remissio, siue per sacrificium, siue per indulgentiæ applicationem fiat, ab ipso Deo immediate conceduntur. Mirum igitur non est, quod non sit contentus dispositionis existimatione; sed dispositionem realem, & in re existentem requirat.

4. Ex his solum relinquatur fundamentum oppositum: quia ratione, inquam, Pontifex vix decipi possit in indulgentiis concedendis, nisi ex malitia procedat; quod nullatenus præsumendum est: possitque absque difficultate æqualiter causæ attingere. Deinde negandum est, concessionem Indulgentiæ ex causa pia inproportionata esse ex voluntate Christi: quia cedit in Dei honorem, aliàs probaret esse concessionem discretam, nullamque peccatum in ea committi: honor enim diuinus est, ut vindicta iustitia seruetur, & debita poena exoluatur, dum non adest causa iusta, & rationi cõsona ad eius remissionem.

5. Monent tamen, & bene communiter Doctores, Coninch. *disp. 12. dub. 6. n. 36. Tolet. lib. 6. c. 28. n. 6.* Bonac. plures referens *disp. 6. q. 1. punct. 4. in fine*, semper præsumendum esse, causam sufficientem adesse ad indulgentias plenarias concedendas, tamen si opus iniunctum leuissimum sit. Quia pro facto Principis, eiusque valore stat præsumptio: neque in concessione Indulgentiæ spectatur præcipue opus iniunctum; sed finis, ob quem conceditur, idèque communiter Doctores restantur, indulgentiam valere, quantum sonat.

6. Secundo monet Suarez. *disp. 54. sect. 2. n. 17.* quem sequitur Laym. *lib. 5. sum. tract. 7. c. 5. in fine*, si simul cum indulgentiæ concessione concedatur facultas absoluedi à reſeruatiss, commutandi vota, & iuramenta; tamen si indulgentia deficiat ob defectum causæ; prædicta tamen facultas firma perſistit, ut pote quæ ex libera voluntate Pontificis pendet, qui eam pro suo arbitrio, cui placuerit, communicare potest.

7. Verum, esto, causa inæqualis sit ad integram Indulgentiæ concessionem, non obinde concessio ex toto perit; sed ea ex parte, qua causam sufficientem habet, subsistit: nam concedens indulgentiam ampliorem, eo ipso minorem concedere intendit, & cum ad eam concessionem habeat potestatem, ad sitque causa iusta, & rationabilis; affirmandum est, eam concessionem valere: diuisibilis enim est illa concessio, ac proinde ex parte potest esse valida, & ex parte inualida. Atque ita ut certum defendit Suarez *disp. 54. sect. 3. n. 9.* Egid. de Coninch. *disp. 12. dub. 6. concl. 2.*

8. Superest difficultas, unde sumatur sufficientia causæ ad indulgentiarum concessionem? Respondeo, præcipue desumi ex fine, quo mouetur Pontifex, qui semper debet esse fidei exaltatio, hostium Ecclesiæ destructio, vel conuersio, Ecclesiæ apostolicæ specialis reuerentia, obsequiorum ei factorum gratificatio, cultus Dei, vel Sanctorum promotio, & quilibet alius, qui specialiter cedit in honorem Dei. Neque opus est: quod hic finis semper sit communis, & publicus: sed solum quando indulgentia communis est: pro priuata enim indulgentia, & vni tantum concessa, priuatus sufficit: quia sic habet æqualitatem, & proportionem indulgentiæ cum causâ, ut latè expendit Suarez. *disp. 54. sect. 4. per totam.* Deinde sumitur sufficientia causæ ex proportionem, quam habet opus iniunctum & ipsamet indulgentiæ concessio ad prædictum finem consequendum: semper enim ex se apta esse debent ad consecutionem finis inrenti. Quando enim indulgentia communis est, atque ad eod finis intentus communis est, per quemlibet in particulari leuiter videatur obrineri, sufficit, si per omnes obrineatur, ut notauit Coninch. *disp. 12. dub. 6. n. 33.* Fateor tamen, sæpè indulgentiam concedi absque conditione alicuius operis iniuncti, ut conceditur morituro, vel alicui de Ecclesia non leuiter bene merito, vel nimis tristi, & quasi desperato, ut tristitiam extunciat, & spem diuine misericordiæ concipiat: vel ex quadam liberali donatione ob causam aliquam iustam, & honestam, sicuti solet Pontifex in die suæ coronationis, & in solenniortibus, festiuitatibus, & præcipue feria 5. in Cœna Domini plenariam præsentibus indulgentiam concedere: & sic Episcopus sua benedictione præsentibus quadragenam impertitur, sicuti bene aduertit Suarez. *disp. 52. sect. 4. n. 3.* Coninch. *disp. 12. dub. 6. n. 34.*

Bonac. *disp. 6. q. 1. part. 4. n. 6.* Valen. *disp. 7. q. 20. part. 4. & alij.* Semper tamen necessarium est, ut concessio Indulgentiæ credatur in maiorem Dei honorem credere, quam crederet stricta, & rigorosa satisfactio, vel satisfactio.

## P V N C T V M VIII.

De conditionibus requisitis in eo, qui lucraturus est indulgentias.

1. Debet esse baptizatus.
2. Neque per modum suffragij concedi catechumeno potest, est alij contra sentiant.
3. Debet esse in gratia eo tempore quo ei Indulgentia applicatur.
4. Recedente peccato, aliqui existimant indulgentiam applicari. Sed oppositum est verius.
5. Cavere debet excommunicatione.
6. Tempore quo applicatur Indulgentia, debet illa indigere.
7. Exequendum est opus iniunctum.
8. Sollicitudo exequendi opera poenalia non requiritur, tamen si Cuius, oppositum sentiant.
9. Satisfit fundamento Caiet.

1. Prima conditio requisita in eo, qui lucraturus est indulgentiam, est, esse baptizatum. Sic ex communi sententia docet Suarez. *disp. 52. sect. 2. in pr.* Val. *disp. 7. q. 20. p. 1. vlt.* Coninch. *disp. 12. dub. 7. in initio* Laym. *lib. 5. tract. 7. c. 6. Bon. disp. 6. q. 1. p. 5. n. 1. & alij*: quia thesaurus satisfactiois Christi, & Sanctorum Ecclesiæ relictus est, ut per illius Pastores in eius membra distribuatur: at qui baptizatus non est, non est Ecclesiæ membrum. Non igitur illi fieri distributio potest. Item, confessio indulgentiarum, si per modum absolutionis concedatur, est adus iurisdictionis: qui tamen exerceri nequit in non subditum, qualis est non baptizatus.

2. Ant autem per modum suffragij concedi Indulgentia possit catechumeno in gratia existenti, res est incerta. Affirmat Nau. *de Indulg. not. 31. in fin.* Henrici, aliis relatis *lib. 7. c. 18. n. 3.* Benzion. *lib. 5. de Iubileo, cap. 15. dub. 28. asserti. 6.* indicat Emman. *Sa verbo. Indulgentia, n. 2.* & probabile reputat Laym. *lib. 5. art. 7. c. 6. n. 1.* Et mouentur: quia applicatio iurisdictionem non ex postulat: idèque proleſt defunctis in Purgatorio existentibus. Et præterea satisfactioes propriæ possunt catechumeno applicari: ergo communes applicari poterunt ab Ecclesiæ Pastoribus, Ceterum oppositum verius existimo Suarez. *disp. 52. sect. 4. n. 8.* Coninch. *disp. 12. dub. 10. ad fin.* Filliuc. *tr. 8. c. 8. q. 10. n. 214.* Bon. *disp. 6. de Indulg. q. 1. p. 5. n. 2.* ed quod Ecclesia nunquam fuerit vlt hoc applicationis modo: quod est indicium non habere ad id potestatem. Congruentia ea est: quia thesaurus Ecclesiæ solum Ecclesiæ membris expedit distribui. Item, hæc applicatio operatur suum effectum ex opere operato, sicut & sacramenta. At nullum Sacramentum, præter Baptismum, applicari potest catechumeno, quantumvis per gratiam sic Christo vnitum: ergo neque indulgentia. Neque obstat, hæc applicationem non expostulare iurisdictionem in eo, cui faciendâ est: quia satis est, quod expostulet iurisdictionem in distributione bonorum faciendâ, quam non habent Prælati Ecclesiæ: comparatione illorum, qui extra Ecclesiam existunt. Neque ex eo, quod satisfactioes proprias possit catechumeno iusto applicare, inferitur, quod Prælati Ecclesiæ satisfactioes communes applicare possit: quia propriarum satisfactioem vnusquisque est dominus, quas mirum non est, quod possit, cui maluerit, applicare: satisfactioem Ecclesiæ solus est Prælati dispensator ex voluntate Christi, quæ non præsumitur respectu eorum, qui suæ Ecclesiæ visibili vniti non sunt.

3. Secunda conditio. Debes in gratia existere eo tempore, quo Indulgentiam consecutus es: quia astrictus poenæ æternæ incapax est temporalis poenæ remissionem consequi. Quæ ratio probat, nullius peccati, etiam remissi, consequi indulgentiam posse. Nam de peccato, siue mortali, siue veniali quod remissum: non est, certum existimo, indulgentiam consequi non posse quia alienum est à diuina providentia, & prudenti gubernatione perſeuerare culpa, reatum poenæ remitti, uti ex communi docet S. Th. *in addit. 3. p. q. 27. art. 1.* Nauat. *de Indulg. not. 17. n. 1.* Emman. *Sa verb. Indulgentia, n. 2.* Suarez. *disp. 52. sect. 2. n. 3.* Laym. *lib. 5. sum. tr. 7. c. 6. n. 3.* Egid. *disp. 12. dub. 7. in prin.* Bonac. *disp. Indulg. q. 1. p. 5. n. 4.*

Notanter dixi, *tempore, quo consecutus es indulgentiam*. Non enim videtur necessarium, vt omnia opera ad indulgentiam requisita in gratia præſententur. Nam, cum ex natura rei hæc circumſtancia in operibus iniunctis non requiritur, quippe Deus ob peccatoris opera moueri potest ad finem à Pontifice intentum concedendum; Pontifex autem eam circumſtantiam expreſſe non expostulet, non est, cur à nobis expostuletur. Gratia enim non ob opus iniunctum, sed ob effectum Indulgentiæ Doctores exigunt, ut videtur est in Nau. *& de Indulg. not. 19. n. 17. & not. 32. n. 47.* Suarez. *disp. 52. sect. 2. n. 7.* Val. *q. 20. p. 5. ad fin.* Egid. *disp. 12. dub. 7. n. 29.* Bonac. *q. 1. p. 5. n. 10.* Laym. *cap. 6. num. 3.* Henrici. *c. 9. Tolet. lib. 6. cap. 27. & alij apud ipsos.*



4. Solum superest dubium, an si tempore, quo consecutus es indulgentiam, in peccato existeris, & ob id impediaris ab illius consecutione, remoto postmodo peccato indulgentiam obtineas: sicuti contingit in Sacramento, quae remoto obice suum effectum operatur, eò quòd illorū effectus non ex sufficienti dispositione, sed ex liberalitate Dei sacramēto annexatur. At effectus indulgentiae non ex dispositione illius, cui applicatur: sed ex Christi liberalitate nascitur: ergo remoto obice communicatur. Et explicatur ampliùs. Pontifex concedens indulgentiam eam intentionem habere potest, ut si pro eò tempore, quo concedit, incapax sit illius, referatur in acceptatione diuina tibi còmodo tempore communicanda. Quae enim repugnātia in hac intentione ostendi potest: Et ex alia parte hic modus confessionis, & Pontificis liberalitate denotat, & nobis est utilior: ergo asserendus est, sicuti asseruit Palud. in 4. dist. 20. q. 4. art. 3. circ. 1. concl. Sylu. verbo Indulg. n. 7. Hēriq. l. 7. c. 9. n. 13.

At longè verius est, indulgentiam concedam peccatum mortale habenti, nunquam effectum operari. Etenim operari non potest effectum indulgentiae, quae nunquam in suo esse constituta fuit, sicuti neque sacramentum, quod verum sacramentum non fuit. At indulgentia peccatori applicata nunquā in suo esse constitui potest: quippe nunquam remittere potest penam pro peccatis debitam media thesauri Ecclesiae satisfactione, quae est eius essentia. Ergo nunquam habere potest effectum, recedente fictione. Et in hoc est latum discrimen inter indulgentiam, & sacramenta: nam sacramenta, quae, recedente fictione, effectum habent, peccatori applicata in suo esse fuerunt perfectè constituta: secus verò indulgentia. Præterquam quòd non omnia sacramenta, recedente fictione, suum effectum operantur: sed, quae aliquo modo iterari non possunt: quorūque effectus non potest alia via obtineri. At indulgentia plerumque est iterabilis, eiuſque effectus, qui est penae debitae remissio, aliis viis obtineri potest. Ergo, &c. Deinde indulgentia effectum non habet, nisi ex intentione concedentis: at concedens indulgentiam tibi aliquod opus facienti, finito opere intendit penam remittere. Ergo, si eò tempore incapax es remissionis, indulgentia cessat. Neque verum est, concedentem velle, ut tibi còmodo tempore referretur: quia neque id explicat in concessione, neque eam intentionem habere potest, si eum sit opus, indulgentiam absolutè concedit. Secus verò posset dici, si distulim concederet, sub hac, inquam, forma. Concedo tibi indulgentiam hoc opus facienti, si capax es: sin minus, cum capax exiteris. At hæc cõcessio duplex est, & à modo, vitaro concedēdi indulgentias aliena. Et ex his solum est oppositè sententiae fundamentum. Atque ita latè docet Suar. disp. 52. sect. 2. a. n. 13. Coninch. disp. 12. dub. 7. post princ. n. 37. Nauar. notab. 17. n. 2. & notab. 19. sub finem Sā n. 2. Reginald. lib. 7. n. 169. Illuc. tr. 8. c. 6. n. 141. Bonac. disp. 6. q. 1. p. 5. n. 13.

5. Tertia conditio: Ne sis maiori excommunicatione ligatus hæc enim excommunicatum priuat communibus Ecclesiae suffragiis, & bonis inter membra Ecclesiae vnita diuidendis vti ex communiori sententia tradit Suar. disp. 12. sect. 2. n. 3. & de censur. disp. 12. sect. 3. n. 7. Vgol. de censur. tab. 2. c. 9. in princ. Bonac. dicta p. 5. n. 3. Laym. tract. 7. c. 6. num. 2. aduersus Henric. lib. 7. cap. 18. 12. Emman. Sā Indulgētia. n. 2.

6. Quarta. Debes Indulgētia indigere ad penae remissionē, tempore, quo cõceditur: neque enim tibi referuanda est in tēpus futurum si forte illa indigeas: quia hæc referuatio Ecclesiae dānola esset, vtpote quae iustis aniam peccandi præberet, scientibus obligationem habituros non esse exoluenti penam pro peccatis debitā. Atque ita notauit Coninch. disp. dub. 7. n. 37.

7. Quinta: Mandari debet executioni opus iniunctum, aliā Indulgētia non obtinebis. De qua conditione, quia varias continet difficultates, in seq. punct. agendum est.

8. Præter supradictas conditiones, aliam Caiet. 1. 1. Opus. c. 11. 10. q. 1. excogitauit, quem sequutus est Nauar. notab. 20. nempe sollicitudinem exercendi opera penalia in peccatorum satisfactionem. Nam, qui negligens est debitam pro peccatis satisfactionem exhibere, indignus est alieno subsidio, & thesauri Ecclesiae participatione: sicuti esset indignus communicatione thesauri temporalis reipublicae ad debita propria soluenda, qui ex suo potestate haberet soluenda illa, & solum ob negligētia, vel auaritia omitteret.

Sed hæc conditionem ceteri omnes Doctores cum D. Th. in 4. dist. 20. & quodlib. 2. art. 2. reiciunt, & merito, ut videre est in Suar. disp. 52. sect. 11. a. n. 2. Valen. disp. 7. q. 20. p. 5. in fine. Henric. lib. 7. cap. 16. num. 2. Laym. tract. 7. cap. 6. in fine. eò quòd ad validam thesauri Ecclesiae dispensationem, sola causa rationabilis expostulatur: ad validam verò illius applicationem solum requiritur gratia in eo, qui consecutus est Indulgētia, & operis iniuncti executio. Ad hæc omnia stare possunt, tamen negligens fueris in satisfactione debita exhibenda: quippe potest adesse causa publica boni communis, quae dispensationem thesauri honestet, & insuper in statu gratiae esse potes. Nā illa negligentia peccatum mortale non est, ut suppono: ergo possunt esse omnia requisita ad Indulgētia.

9. Neque fundamentum Caiet. est alicuius momenti. Nam, est, ob negligentiam dignus non sis, ut thesaurus Ecclesiae

tibi applicetur: & postuē non es indignus, & in capax illius idēque ex benignitate Ecclesiae iuari potes. Neque obinde censenda est Ecclesia tuam negligentiam foueri: sed illam permittere, illique condescendere. Neque est simile de dispensatione thesauri temporalis reipublicae, qui ex voluntate reipublicae solum iis, qui alia via suam indulgentiam supplere non possunt, communicatur: & merito, quia si aliis communicaretur, cum finitus sit, iis indigentibus deficeret. At thesaurus satisfactionis Christi, & sanctorum infinitus est, qui exhauriri non potest, quantumuis communicetur: idēque quibuslibet indigentibus, etiam si alia via supplere suam indulgentiam possint prudenter, & rationabiliter communicatur.

PUNCTVM IX.

Expenditur conditio requisita ad Indulgētia consecutionem, quae est de opere iniuncto:

1. Operis iniuncti executio ita necessaria est, ut ex illius defectu nequeat indulgentia obtineri.
2. Excipe, nisi contrarium in ipsa concessione caueatur.
3. Opus iniunctum est, sicuti est iniunctum.
4. Debet opus iniungi honestum, & utile ad finis Indulgētiarum consecutionem.
5. Nulla ex circumstantia debere vitari affirmant aliqui, alij negant.
6. Qua distinctione vitatur Layman.
7. Quid sit sentiendum.
8. Opus exequi debet ex intentione, non formali, sed virtuali saltem obtinendi indulgentias.
9. Opus iniunctum personalem actionem exigens, à lucrante indulgentiam exequendum est.
10. Excipe, nisi concedens indulgentiam aliud prescripserit.
11. Plures Indulgētia diuersis viis concessas vnus operis executione te obtinere posse affirmant aliqui.
12. Verius est oppositum.
13. Apponitur quadam limitatio, sed non probatur.
14. Eodem tempore diuersis actibus plures Indulgētia obtinere potes.
15. Qualiter eiusdem operis repetitione plures eandem possit indulgentiam obtinere.
16. Satisfit questioni sub distinctione de concessione Indulgētia sed tempore indeterminato, vel cum determinatione breuis temporis.
17. Satisfit obiectioni.
18. Affirmant aliqui, ob diuersum modum exequendi opus iniunctum alios plures, alios minus de Indulgētia obtinere.
19. Sub distinctione questio dissoluitur.
20. Indulgētia concessa contritis, & confessis, non exigit confessionem actualem in eo, qui nullo mortali grauatur.
21. Si grauetur mortali, consultius est, confessionem esse praeferendam.
22. Probabile est, necessariam non esse confessionem actualem.
23. Quod si Pontifex confessionem expresse exposuisset, illa praemissa ante elapsum terminum concessionis in nouum peccatum mortale incidisti: negant plures te debere iterum, confiteri.
24. Contrarium consulendum est.
25. Peccatum oblitum non videtur teneri confiteri.
26. An petita Communione censetur Pontifex confessionem exposulare.
27. Satisfit questioni.

1. PRæcipua conditio requisita ad indulgentiam, est executio operis iniuncti. Est igitur hæc conditio ita necessaria ut si opus iniunctum ob impotentiam, vel alia de causa exequi omiseris, Indulgētia non cõsequeris: quia concessio sub aliqua forma, & conditione, ea non seruata corrumpit, arg. leg. Qui heredit. §. 4. leg. Manius. §. ff. de condit. & demonst. Quod adeò verum est, ut neque partem indulgentiae obtinebis, tamen si partē operis exequaris, quia non pars indulgentiae ob dimidiatū opus, sed indulgentia ob opus perfectum tibi promissa est. Atque ita docet Nauar. de Indulgētia. not. 9. n. 4. & not. 19. n. 17. Coninch. disp. 12. dub. 7. n. 38. Suar. disp. 52. sect. 3. n. 3. Laym. tract. 7. c. 6. n. 3. Bonac. disp. 6. q. 1. p. 5. n. 20.

2. Excipe tamen, nisi in concessione caueatur indulgentiam concedi impeditis opus iniunctum exequi, vti factum est in Extrau. Vnigenitus de pœnit. & remiss. vbi conceditur Tubicum Romanū omnibus illis, qui eo animo iter arripientes impediti fuerūt Romam peruenire, vel Apostolorum limina visitare. Secundo excipe, nisi ita leuis sit omisio partis operis iniuncti, ut non impediatur, quin moraliter cenatur opus iniunctum exequi, sicuti si in oratione iniuncta omittes vnū Ave. Secus si opus iniunctum esset trina recitatio Dominicae orationis, & angelica, & binam tantum præstares: nam esto, omisio illa in se leuis sit: non tamen comparatione operis iniuncti, sicuti notatur in Suar. disp. 52. sect. 5. n. 3. Laym. & Bonac. supra.

3. Sed quale opus, qualiterque præstandum est ad indulgentiam obtinendam? respondeo, præstandum esse opus, sicuti



est iniunctum: nam cum Indulgentiarum concessio sit libera concedentis donatio, potest nolle eam facere, nisi sub conditione operis taliter praestiti. Arque hinc fit, posse Pontificem sub conditione operis interni indulgentiam concedere: nam esto plerumque expedit opus iniunctum externum esse, aliquando tamen expedit internum iniungi, uti docent Suar. *disp. 52. sect. 1. n. 5. c. 6. Val. disp. 7. q. 20. p. vlt. in fin.* Secundò fit, posse exigere, ut omne opus iniunctum in statu gratiae exequaris ob eandem rationem. At nisi id Pontifex exprimat, non praesumitur: quia est dura conditio, nec necessaria ad indulgentiam. Non enim conceditur indulgentia ob satisfactionem, aut meritum operis iniuncti, sed ob illius honestatem, ad quam exercendam procurat Pontifex media indulgentiae concessione homines allicere, sicuti latius tradit Suar. *d. sect. 5. n. 6. c. 6. Navar. notab. 19. n. 17. Graffis de indul. c. 5. n. 48.* pluribus relatis Bonac. *q. 1. p. 5. n. 10.*

4. Illud verò est certum, non posse opus iniungi, quod honestum non sit, & vile ad consecutionem finis in Indulgentiarum concessione intenti, aliàs non cederet in Dei honorem. Sed an taliter honestum debeat esse, ut nulla ex circumstantia vitietur: non constat inter Doctores. Afirmat Navar. *de indul. notab. 19. n. 6. c. 6. not. 32. num. 46. Rodrig. l. 2. q. 99. art. 6. Coninch. disp. 12. dub. 8.* Et mouentur, quia opus ob prauum finem, vel circumstantiam vitiatum displicet Deo. Non igitur in illius honorem, & gloriam cedere potest: ergo non est aptum, ut ratione illius satisfactio Christi applicetur, & peccatorum remissio concedatur. Contrarium docuit Cordub. *de indul. qu. 22. Suar. disp. 52. sect. 6. à n. 2.* quia certum est, Pontificem posse concedere indulgentiam sub conditione operis de se boni, & honesti, tamen si in individuo honestum non sit, siquidem potest absque illo opere indulgentiam concedere. Ac sic est praesumendum concedere, quoties opus exigit absolute absque vlla limitatione, sicuti praesumeretur, si praecceptum imponeret de illius executione: quia opus impositum in consecutione indulgentiae restringi non debet, sed potius ampliari, quatenus verba permittunt.

6. Sed inter has extremas sententias distinctione vitur Laym. *l. 5. sum. tract. 7. c. 6. à n. 3.* inquit enim: Cum sufficientia causae finalis ad indulgentiarum concessione plerumque compleatur ex opere iniuncto, videndum est, an opus iniunctum, esto vitiatum sit, ad finem praecipue intentum conducat, an non: si conducit, uti contingit in distributione ad expeditionem bellicam contra Turcas, consequetur indulgentiam: sed si non conducit, ut si ex fine placendi Deo praescribantur ieiunia, ut verò te inebriasti, vel maiorem partem operis iniuncti male perfecisti.

7. Fateor, hanc doctrinam verissimam esse: nego tamen opus iniunctum absolute requisitum finis à Pontifice intento non conducere, tamen si prauè fiat. Ieiunium namque, in quo te inebriasti, est ratione obiectatis Deo placere non potest, ar ob rationem ieiunij, quam retinet, Deo placere potest: siquidem potes praecceptum Ecclesiasticum implere, & sub ea ratione Deum iratum placare. Deinde, est ieiunium in se ob prauum finem assumptum non conducit ad placandum Deum, impetrandumque ab eo aliquod beneficium: at quatenus excitar alios fideles ad poenitentiam, & corporis castigationem, religionem fouet, & Deum placare potest. Item, vitium ieiunij aequè efficax est ad placandum Deum, sicuti elemosyna vitiosa ad finem praecipuum, ob quem expostulatur. Non enim expostulatur elemosyna ob materialem belli expeditionem, sed ob fructum, qui speratur superatis hostibus: at hic fructus, sicuti propagatio fidei, & pax Christianae reipublicae, cum à Deo concedendus sit, necessariorum bonum opus praerequirat. Ergo dicendum est, sufficere bonum opus ex genere, esto, in individuo prauè sit factum.

8. Praeterea non est necesse, quod opus iniunctum exequaris animo, & intentione formali lucrandi Indulgentiam, bene tamen ex intentione habituali, & interpretatiua, quam censetur quilibet Christianus habere de suae salutis remedijs. Priorem partem probat consuetudo Ecclesiae, concedendi indulgentiam sensibus destituta, & iam animam agenti. Si enim huic ministrari extrema Vinctio potest, quia ob Christianam vitam, quam degit, censetur voluntatem sufficientem habere omnium, quae suae spirituali salutati conueniunt, à fortiori indulgentia concedi poterit. Posteriorem partem sic probat: quia concessio indulgentiae actus est iurisdictionis non coactiuae, sed voluntariae, ac proinde exerceri non potest, nisi in volentes. Item est quadam donatio, quae ad sui valorem acceptatione saltem virtuali, indiget. Atque ita docent Suar. *disp. 56. sect. 1. n. 7. Laym. l. 5. sum. tr. 7. c. 6. ante med. dub. 2.*

9. Deinde, si opus iniunctum actionem personalem spectet, ut est ieiunium, oratio, Sacramentorum susceptio, Ecclesiae visitatio, à te necessariorum exequendum est: nequis enim denominari ieiunans, aut orans, tamen si famulus ad tuum mandatum oret, aut ieiunet. Sectis verò est, si opus iniunctum non personalem actionem, sed rem familiarem, atque bona extrinseca respiciat, sicuti est elemosyna distributio: haec enim si per famulum facias, tanquam per instrumentum, censetur per te ipsum facere, atque ad eod opus iniunctum exequi, & indulgentiam obtinere. Suar. *disp. 52. sect. 7. Laym. l. 5. sum. tr. 7. c. 6. dub. 3. n. 5.*

10. Ab hac tamen doctrina excipit optimè Suar. nisi aliter concedens indulgentiam praescripserit. Potest autem concedens indulgentiam exigere, distributionem elemosynae fieri ab eomet, qui indulgentiam consecutus est, ut sic pietatem foueat, & forte meritum, & satisfactionem augeat. Quo casu, si per famulum elemosynam concedat, indulgentiam non obtinebit: quia non est executus opus iniunctum. Item, praescribens ieiunium, orationem. Ecclesiae visitationem, contentus esse potest, si per alium haec ipsa praestentur, ut si in forma indulgentiae dixerit. Qui per se, vel per alium Ecclesiam visitauerit, indulgentiam consequatur, & tunc facta visitatione per alium, non ipsi, sed ei, in cuius nomine fuit facta visitatio, indulgentia conceditur.

Ex quo sic, visitantem Ecclesiam nomine alieno, sicut & famulum elemosynam domini distribuentem, non oportere in gratia esse constitutum: quia haec necessaria non est ad opus, prout à concedente indulgentiam exigitur: non enim postulat opus meritorium, nec satisfactorium, sed opus de honestum, quod absque gratia fieri potest. Neque etiam gratia in eo necessaria est, ut ad sit dispositio ad indulgentiae consecutionem: siquidem non ipsi visitanti Ecclesiam, neque famulo elemosynam distribuenti indulgentia conceditur, sed illi, in cuius nomine famulus Ecclesiam visitat, vel elemosynam distribuit. Superfunt tamen aliquot difficultates. Prima, an eodem opere plures indulgentias diuersis viis concessas lucrari possis: v. g. habes plura grana benedicta, plures imagines, quarum singulis concessus est annus indulgentiae, orarium Virginis recitantibus, tecitas semel orarium, & tot annos indulgentiae consequaris, quot habes grana. Videris obtinere: quia opus iniunctum exequeris omnibus indulgentiis correspondens, & cum non sit maior ratio, quare vnam potius, quam aliam consequaris, omnes consequi debes, sicuti diuersis praecipis vnicuique actu satisfacere potes. Arque ita sentit Cordub. *q. 15. de indul. pag. 439. Graffis de indul. c. 5. n. 55. Hentici. l. 7. c. 17. num. 35. Emman. S. verb. indulgentia n. 18.*

12. Sed verius oppositum tenet cum Suar. *disp. 52. sect. 8. n. 10. Filiuc. tr. 8. c. 6. q. 14. n. 168. Bonac. disp. 6. q. 1. part. 5. n. 29. Coninch. disp. 12. dub. 9. Laym. l. 5. tr. 7. c. 6.* Ratio ea est, quia plerumque opus iniungitur ad complendam causam pro indulgentiae concessione necessarium: ar opus pluribus causis applicatum, & in plura diuisum, minore singulis virtutem concedit. Ergo non poterit omnium indulgentiarum causas complecti, ac proinde ex defectu causae non omnes indulgentiae obtinebuntur, sed illa tantum indulgentia, ad quam operans suam intentionem determinauerit: nam cum in illius fauorem omnes, concedantur, expedit eius voluntati electionem remitti. Quod si ad nullam specialem intentionem determinauerit, ratione omnium eandem indulgentiam consequetur, ut bene notatur Suarez & Bonac. *locis allegatis.*

13. Hanc tamen doctrinam limitant Laym. Coninch. & Suar. ne procedat, cum opus iniunctum iterabile non est: v. g. si communicanti in festo Conceptionis, vel in eius vigilia ieiunanti concedatur diuersis viis annus indulgentiae, credendum est, ieiunantem vel communicantem plures annos consequi. Sed haec limitatio mihi non probatur: nam esse opus iniunctum iterabile, vel non iterabile, impertinens est ad complendam causam sufficientiam, si alioquin ex se non complet. Quapropter si ponamus ieiunium complecti sufficientiam causae, quae requisita est pro concessione vnius anni indulgentiae, nequit etiam iuuare sufficientia causae pro alterius indulgentiae concessione. Secunda, an vno eodemque tempore diuersis actibus, quorum singulis diuersae sunt indulgentiae concessae, possis eas lucrari. Vt si recitanti Horas canonicas, & audienti Missam variae essent concessae indulgentiae, lucrari eas possis, simul audiendo sacrum, & Horas recitando: Cui difficultati affirmatiue est respondendum: quia vnumquodque opus aequè eodem tempore ac in diuersis perfici potest, & aequè valet suae concessiois causam finalem complecti, ac si ieiunatum alio peractum esset, ut tradit Bonac. *disp. 6. q. 1. p. 5. n. 31.*

15. Tertia, an possis saepius eandem indulgentiam obtinere, repetito opere, cui est indulgentia absolute concessa: v. g. concessit Pontifex annum indulgentiae visitantibus Ecclesiam S. Petri, poteris saepius eam indulgentiam lucrari: Videris, non posse: sed semel tantum, eò quod semel absolute prolatus de prima vice sit intelligendus ex text. *Boues. S. Hoc serm. ff. de verb. significat. cui consonat lex, Cum Pater S. Pater certam ff. de legat. 1. vbi cautio de danda, vel restituenda dote filiae nuptae, solum de primis nuptijs intelligitur, neque ad secundas extenditur. Idemque est de promissione doris, ut tradit Bart. in leg. Dotis promissio. vers. vlt. ff. de iure dotium, & pluribus alijs ornat Tiraq. in dicta leg. Boues. 2. Hoc sermone.*

16. Caeterum distinguendum est, inter indulgentiam concessam absque vlla temporis determinatione, & inter indulgentiam cum limitatione temporis, maxime breuis concessam. Exemplum primi est, si concedatur indulgentia visitantibus Ecclesiam D. Petri. Secundi verò, si concedatur visitantibus Ecclesiam in festo ipsius dedicationis, vel per illius octauam. Si absque temporis determinatione concedatur, peruenit est Indulgentia, & pluries obtineri potest, vbi, & conueniente



Re intentionem Pontificis declarante, vt docuerunt Nauarr. de Indulgent. notab. 15. n. 19. & notab. 31. n. 26. & 37. & in expli-  
cat. Bulla Gregor. XII. l. n. 46. vers. Circa hoc. Cordub. quæst.  
5. lib. 5. Suarez disp. 57. sect. 1. n. 4. Henric. lib. 7. cap. 11. num. 1. &  
17. num. 6. Emman. Sâ verbo Indulgentia. num. 7. Bonac. disp. 6.  
quæst. 1. part. 5. n. 32. & alij. Quod adeo verum existimant dicti  
Doctores, vt non solum pluries in vita, sed in anno, mense, &  
hebdomada, si eo tempore opus iniunctum perficiatur, obtine-  
ri possit: Quinimò Nauarr. dicto notab. 31. n. 37. existimat, eo  
die toties obtineri posse indulgentiam, quoties opus iniun-  
ctum prudenter, & deuote peragatur. Hanc doctrinam probabi-  
litter extendit Emman. Sâ ad indulgentiam per longum  
tempus concessam: v. g. per annum, vt in anno Iubilæi: quia  
hæc quasi pennis, & perpetua est reputanda, ac proinde po-  
terit non solum semel, sed pluries obtineri opere iniuncto  
præfisco. Verum, si indulgentia cum determinatione brevis  
intervalli concedatur, vt solum concedi in Festo alicuius Sancti,  
illa vel per eius octauam: semel tantum obtineri poterit: quia  
illa temporis determinatio indicat, Pontificis intentionem  
vnius tantum indulgentiæ esse, non plurium, sicuti notauit S.  
Thom. in addit. q. 15. art. 2. ad 4. Toler. lib. 6. c. 28. ad finem,  
Nauarr. Suar. Sâ, Henric. loc. alleg.

17. Prædictis non obstat textus in leg. *Bones*. cui varias ex-  
ceptiones, & limitationes adhibet Tiraque. *suprà* ex quibus  
ad postum propositum non leuiter fauet illa, quæ asserit,  
prædictum textum non procedere in concessione pro causa  
aliqua certa, & determinata, quæ perleuerat post primam  
concessionem: ea enim perseuerant non sinitur concessio, sed  
pluries repeti potest, vt docuit Barr. in leg. 1. col. vlt. ff. ad leg.  
Iulian. Marci. argum. text. in leg. *Continuus*. S. *Qui insulam*.  
ff. de verbor. oblig. Durante enim causa, durare etiam debet id,  
quod ob eam causam introductum est, leg. *Semper*. S. *Negotia-*  
*torum* ff. de iure immunit. leg. *Si cui*. S. 1. ff. *Ex quibus causis ma-*  
*ri*. leg. 2. S. *Omnes* ff. de iudic. & alij. At in concessione indul-  
gentiæ per longum tempus, vel sine limitatione temporis  
concessa plerumque perseuerat eadem causa concessions, quæ  
solum esse Religionis augmentum, & deuotionis, & feruoris in  
aliquem sanctum excitatio, efficitur & concessione indul-  
gentiæ perseuerare. Neque etiam displicet ea exceptio, quam  
expluribus Doctores refert Tiraque. quod prædictus textus  
in leg. *Bones*. non sit intelligendus in materia fauorabili,  
sed solum in onerosa iuxta textum in leg. *Conditio filia*. in fi-  
ni. ff. de condit. & demonstrat. & tradit Francisc. Arcerin. in leg.  
*Serui electio*. ff. de legat. 1. leg. *Placet*. cum seqq. de liberis, &  
*postulatio*. Denique inquit Tiraque. limitat. 27. prædictum tex-  
tum in concessione lucratiua, seu gratuita, qualis est indulgen-  
tiarum concessio, non procedere argum. leg. *Si seruus* ff. de ser-  
uitutib. vrbano.

18. Quarta difficultas est, an ob diuersum modum ex-  
ceptendi opus iniunctum, alij plus, alij minus de indulgentia  
consequantur? Affirmant: Nauarr. de Indulg. notab. 15. Coninch.  
dub. 6. num. 34. Layman. lib. 5. sum. tract. 7. cap. 5. num. 2. Moten-  
tur ob rationem sæpe dictam: quia opus exigitur, vt suppleat  
insufficienciam causæ finalis. Qui igitur opus iniunctum ex-  
equitur tepide, & remisse, vel ex aliqua circumstantia vitiatum,  
minus completit causæ finalis sufficienciam, quam qui opus  
iniunctum honeste, & feruenter perficit. Fautque Bonifac. in  
Extrauag. *Antiquorum*. de penitent. & remissionib. vbi post-  
quam in anno Iubilæi plenissimam indulgentiam concessit  
visitantibus Apostolorum limina, subdit: *Vniquisque tamen  
plus merebitur, & Indulgentiam efficacius consequetur, qui Ba-*  
*silicas ipsas amplius, & deuotius frequentauerit.* Si enim om-  
nes visitantes peracta visitatione Indulgentiam consequun-  
tur æqualem, falso Pontifex asserit, efficacius consequi, qui  
amplius & deuotius Basilicas frequentauerint.

19. Sed in hac re opus est distinctio. Vel enim opus  
iniunctum, quomocunque fiat, complet sufficienciam  
causæ finalis, vel non. Si non complet sufficienciam causæ fi-  
nalis: quia requirebatur opus honeste, & feruenter factum, cer-  
tium est, eo casu non consequatur integram indulgentiam,  
qui tepide, & remisse opus iniunctum exequitur fuerit; sed  
partem iuxta proportionem causæ. At hoc præsumi non debet,  
cum Pontifex Indulgentiam concedit opere iniuncto  
absolute. Ex ea enim concessione credit Pontifex opus iniun-  
ctum, quomocunque fiat, sufficienciam causæ finalis  
completere: alias omnes Indulgentiæ infirmari facile possent,  
nullæque essent moraliter certæ. Quod si opus iniunctum,  
etiam tepide factum, finalem causam indulgentiæ complet,  
vt necellario affirmandum est: ob maiorem, vel minorem  
deuotionem in executione operis iniuncti non maior, nec mi-  
nor indulgentia obtinetur, sed æqualis: quia indulgentia non  
nititur deuotioni operis, sed ob legitimam causam liberali  
donatione hæc donatio, vt effectum habeat, solum ex vo-  
luntate donantis expostulat qualemcunque executionem ope-  
ris iniuncti: ergo feruentior, vel remissior executio non re-  
fert ad indulgentiæ integræ consecutionem. Atque ita docet  
Suar. disp. 52. sect. 8. à n. 3. Emman. Rodi. in explicat. Cruciatae,  
§ 7. nu. 4. Cordub. lib. 5. q. 31. proposit. Filliuc. tract. 8. cap. 6. q. 14.

Berd. de Castro. Sum. Mor. Part. 1. V.

num. 164. Grassis de Indulgent. cap. 5. num. 60. & cap. 7. num. 3.  
Bonac. disp. 6. quæst. 1. p. 5. num. 19. Neque his obstat Bonifac. in  
Extrauag. *Antiquorum*. dicens, visitantem deuotius Basilicas,  
efficacius Indulgentiam lucrari: quia id intelligendum est,  
quantum est ex te ex opere iniuncto, quod negari non potest,  
ex te efficacius esse ad indulgentiæ consecutionem: de facto  
tamen, & in re, seu quoad effectum, non efficacius indulgen-  
tiam obtinet.

20. Quinta difficultas est, an indulgentia concessa iis, qui  
contriti, & confessi Ecclesiam aliquam visitauerint, expostu-  
let confessionem actualem, vel sufficiat in voto? Dicendum  
primò est, si nullo peccato mortali, quod clauibus Eccle-  
siæ subiectum non sit, te grauatam sentias, necesse tibi non  
est, confessionem præmittere pro indulgentia consequenda:  
quia, cum eo casu non habeas materiam confessioni necessa-  
riam, non est credendum, Pontificem onus, & obligationem  
subiiciendi materiam liberam tibi imposuisse verbis ita gene-  
ralibus, & communibus: debebat enim apertius obligationem  
exprimere. Quinimò esto, Pontifex in concessione absolute  
concessionem, & Communionem requisit, sicuti si diceret:  
indulgentiam concedimus omnibus illis, qui intra tot dies  
sua peccata confessi fuerint, & sacram Eucharistiam recepe-  
rint, si tamen nullo peccato mortali post vltimam confessio-  
nem commissio graueris, satis probabile est: te non esse obli-  
gatum confiteri: quia non de confessione libera, sed necessaria,  
credendum est Pontificem loqui. Quippe confessio absolute  
prolata pro confessione necessaria supponere debet, sicuti pec-  
catum pro mortali, & non pro veniali supponit. Neque ob-  
stat expostulari Communionem liberam: quia in Commu-  
nitione non est ea difficultas, ac in confessione: & præcipue  
quia Communio propter se expostulatur: at confessio non  
propter se, sed vt certius, & efficacius tollatur ob ex indulgen-  
tiæ consequendæ, quem solum peccatum mortale apponit.  
Vnde, etsi confessio absolute expostulata sit, intelligi debet  
obice ad indulgentiam supposito. Præterquam quod Ecclesia  
nunquam solet confessionem venialium à fidelibus expo-  
stulare. Vnde, si Pontifex pro concessione indulgentiæ eam  
requirit, apertissimis verbis voluntatem suam exprimere de-  
bet. Atque ita docent Suar. disp. 52. sect. 3. n. 5. Bonac. plures re-  
ferens disp. 6. de Indulg. q. 1. p. 5. n. 7. Laym. l. 5. sum. tract. 7. c. 6.  
dub. 5. concl. 1.

21. Si autem peccato mortali grauatus existas, consultus  
est, & securus, tibi necessariam esse actualem confessionem,  
maximè si possibilis sit. Sic Durand. in 4. disp. 20. quæst. 4. Na-  
uarr. de Indulg. notab. 18. n. 2. Caiet. *Opus. de Indulg. c. 10.*  
Grassis de Indulg. cap. 5. numer. 5. Coninch. disp. 12. dub. 7. num.  
38. Sâ indulgentia, numer. 3. Bonac. disp. 6. quæst. 1. part. 5.  
num. 5. Layman. lib. 5. tract. 7. cap. 6. quæst. 5. Ratio ea est: quia  
Pontifex expostulat in eo qui lucraturus est indulgentiam, vt  
contritus, & confessus visitet Ecclesiam. Ergo, qui abique  
contritione peccati, & illius confessione visitaret, conditio-  
nem non exequeretur, ac proinde indulgentiam non obtine-  
ret. Quod si dicas cum D. Antonin. 1. part. tit. 10. cap. 3. §. 5.  
sufficere, quod tempore debito contritus, & confessus fuerit,  
obstat: quia Pontifex non expostulat contritionem, & con-  
fessionem, vt præcepto diuino, vel ecclesiastico fiat satis; sed  
vt indulgentia obtineatur, ac proinde expostulat contritio-  
nem, & confessionem, tempore, quo indulgentia obtinenda  
est. Sub nomine contritionis, tam contritio perfecta, quam  
imperfecta, scilicet, attritio intelligitur. Et licet sola con-  
tritio perfecta obicem peccati tollat, & subiectum perfectè  
disponat ad Indulgentiæ consecutionem: quia tamen con-  
tritio difficilis est, & incerta, ideo Pontifex, vt effectus Indul-  
gentiæ securior sit, & certior, confessionem expostulat in  
eo, qui mortali grauatus est. Notanter dixi, si confessio impos-  
sibilis sit: quia stante impossibilitate confessionis, præsumi po-  
test Pontifex nolle fidelem contritum indulgentiam priuare,  
vti notatur Emman. Sâ, & Laym. loc. alleg.

22. Verum esto, prædicta sententia consulenda sit, probabi-  
lissima tamen est negans, confessionem ex prædictis verbis re-  
quiri, quam alijs relatis docet Suar. disp. 50. sect. 5. n. 10. & disp.  
52. sect. 3. n. 19. Filliuc. tr. 8. c. 6. n. 148. Motentur: quia illis verbis  
non videtur Pontifex aliam diligentiam expostulare, quæ  
necessaria est, vt thesaurum Ecclesiæ applicare fidelibus possit;  
iuxta Extrauag. *Vniuersus* de penit. & remission. tit. 1. m. post.  
prin. vbi inquit Pontifex: *Thesaurum sua Ecclesia commisit  
Christus Dominus per Beatum Petrum, cuiusque successores fide-*  
*libus dispensandum, & verè penitentibus, & confessis misericor-*  
*diter applicandum.* At certum est, hunc thesaurum applicari  
posse verè penitentibus, tamen confessio non sinit, sed solum  
propositum habeat cõfitemdi ergo illis verbis non expostulatur  
penitentia perfecta, & confessio; sed ea penitentia, & confes-  
sio, quæ necessaria fuerit, vt thesaurus Ecclesiæ applicari pos-  
sit. Et ex his soluitur fundamentum oppositum. Expostulat  
enim Pontifex contritionem, & confessionem, non vt securus  
sit, & certius indulgentia obtineatur, alias contentus  
non esset contritione imperfecta simul cum confessione:  
siquidem contritione perfecta simul cum confessione secu-



curius obtineretur: sed ea expostulat, quatenus necessaria sunt, ut thesaurus Ecclesiae applicari possit, ad quem effectum solum requiritur peccati mortalis memoria, quae tum per contritionem perfectam, tum per imperfectam cum confessione fieri potest.

23. Quod si aliquando Pontifex expressè confessionem expostulet, uti expostularet, si diceret: Intra tot dies debeant à suis peccatis abolutionem sacramentalem obtinere, non est dubium, confessionem actualem necessariam esse. Solum est dubium, si eam praeiussit, & postmodum ante impletum tempus obtinenda indulgentia in aliud mortale incidisti, an debeas iterum confiteri. Negat Nuziez in addit. ad 3. p. c. 27. art. 3. dub. 4. Bon. disp. 6. q. 1. p. 5. n. 9. ed. quod Pontifex non plures confessiones, sed vnicam expostulat, cui petitioni confessione facta perfecte satisfecisse videtur.

24. Sed oppositum, tanquam securius, consulendum est, ut ipsemet Bonac. consulis, quinimò existimo probabilius: quia Pontifex expostulans expressè confessionem, praesumitur eo sine expostulare, ut securius, & certius consecutus Indulgentiam, peccata, quae illius consecutionem impedire possint, remoueat: hæc ratio urget, casu, quo te nouo peccato mortali grauatam sentias, ut manifestum est. Ergo.

25. Quinimò addit Suar. disp. 52. sect. 3. num. 7. in fine, si facta confessione ante tempus, quo indulgentia applicanda est, recorderis alicuius peccati in priori confessione oblitus, te obligatum esse illud fateri, aliàs indulgentiam non obtinebis: quia expostulatur confessio omnium peccatorum ante indulgentiam commissorum quatenus humano, & morali modo fieri potest. Sed oppositum verius censeo, eò quod peccatum oblitum in confessione legitime facta remissum sit virtute gratiae per sacramentum communicatae ac proinde securitatem indulgentiae nullatenus impedire potest: confessio autem expostulatur omnium peccatorum, quae fuerint ante indulgentiam commissa, quaeque virtute sacramenti, saltem virtualiter, remissa non fuerint: secus de remissis directè, vel indirectè.

26. Sed, quid, si Pontifex, nulla mentione facta confessionis, Communionem expostulet, censeturne confessionem expostulare ab eo, qui peccati mortalis conscius est? Non dedit, qui id affirmet, & satis probabiliter: quia peccato mortali grauat, si Eucharistiam sumere debet, iure diuino obligatur confessionem praemittere: ergo Pontifex postulans Eucharistiae sumpcionem, tacitè expostulat, quae ad ipsam ritè factam necessariò requiruntur: quippe Pontifex sumpcionem dignam, non indignam exigit. Contrarium defendit Suar. disp. 52. sect. 3. n. 6. quem sequitur Laym. lib. 5. sum. tract. 7. cap. 6. q. 5. concl. 1. ea ratione moti: quia privilegium Pontificis non est ad dandum onus, quod expressum non sit. At Pontifex ad consecutionem indulgentiae non expressit confessionem; sed illius obligationem pro Eucharistia suscipienda, iuri diuino remittit: ergo ex petitione Eucharistiae non inferitur confessionem postulari.

27. Nihilominus media via tenenda est, & affirmandum, confessionem pro consequenda indulgentia expostulatam non esse per se: siquidem illius nulla fuit facta mentio, bene tamen, quatenus ad dignam Eucharistiae sumpcionem fuerit necessaria, ob rationem superius factam. Ex quo fit, si omissa confessione, quam praestare poterat, Eucharistiam sumas, indulgentiam non obtinebis, non directè, & formaliter, quia omisit confessionem: sed quia omisit Eucharistiae sumpcionem ritè factam, quae expostulata fuit. Contra vero, si impotens fuisti ad praemittendam confessionem, cum eo casu ritè Eucharistiam sumas, confessione non praemissa indulgentiam consequeris.

## PUNCTVM X.

## Qualiter Indulgentiae defunctis applicari possunt.

1. Defunctis indulgentia applicatur.
2. Haec applicatio fit, non per modum abolutionis, sed suffragij: & in quo hæc differentia sita sit.
3. Negant plures, hanc applicationem esse infallibilem.
4. Verius est, infallibiliter effectum habere.
5. Soluitur oppositum fundamentum.
6. Solis existentibus in Purgatorio Indulgentia conceduntur.
7. Verius videtur, solis defunctis baptizatis indulgentias concedi posse.
8. Ad hanc indulgentiam pro defunctis applicandam requiritur in concedente potestas, quae solum est in Pontifice, in aliis ex eius delegatione.
9. Obtinens indulgentiam pro defuncto debet exequi opus, in reptione saltem virtuali, obtinendi indulgentiam.

10. Non est necessarium, quod in gratia existat, etsi consilium sit.

11. Ex parte defuncti aliqui plures conditiones requirunt: sed reiciuntur.

1. **C**ertum est apud omnes Orthodoxos, defunctis in Purgatorio existentibus indulgentias applicari posse. Constat, tum ex Ecclesiae praxi, aduersus quam disputare insolentissima infantia est, inquit August. epist. 118. ad Lasuarium tum ex consensu communi Summorum Pontificum, aliorumque definitio præcipue ex Leone X. epist. ad Caiet. contra Luther. & ex Sixto IV. Innocent. VIII. Pio II. Calixto, Paschasio, & aliis relatis à Gabriel. in addit. ad lect. 57. in canon. Si enim quilibet particularis potest suas satisfactiones defunctis applicare cur non poterit Pontifex Christi, & Sanctorum satisfactiones, præcipue cum ipsi voluntatem habeant, ut non solum viuus, sed & defunctus sua opera proficiat?

2. Hanc applicationem communiter Doctores censent fieri, non per modum abolutionis, sed per modum suffragij, cuius differentia in eo sita est, teste Suarez disp. 53. sect. 2. numer. 4. & sect. 3. numer. 15. Valen. quæst. 20. pun. ult. Laym. lib. 5. sum. tract. 7. c. 7. in prin. Coninch. disp. 12. dub. 10. & aliis quod indulgentiam concedens per modum abolutionis, tanquam Iudex, & Superior illius, qui absolouendus est, procedit, quemque à poena debita pro peccatis absoluit, oblata Deo ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum sufficiente satisfactione. At concedens indulgentiam per modum suffragij, nullam in personam absolouendam iurisdictionem exercet: quia non absoluit à poena; sed Deo satisfactionem sufficientem offert, ut ipse eam acceptans poenam debitam remittat.

Cum autem Pontifex tibi concedit, ut possis, defuncto per modum suffragij indulgentiam applicare, ne intelligas, tibi forte formine, vel laico, concessam esse facultatem distribuendi thesaurum Ecclesiae, & maxime in defunctorum fauorem, quod semper est Pontifici reseruatam; neque etiam intelligas, indulgentiam tibi concessam posse defuncto communicare: nam si tibi concessa est, poenam tuorum peccatorum remittit: non igitur est locus applicationi. Sed intelligere debes, tibi remitti potestatem designandi defunctum: quia designatione facta Pontifex immediatè, & directè indulgentiam applicat: & quia hæc applicatio tuam designationem subsequitur, ideo dicitur potestatem habere applicandi, indulgentiam defunctis, sicuti colligitur ex his, quae tradit Suarez disp. 53. sect. 3. à numer. 10. Coninch. disp. 12. dub. 10. Valen. p. ult.

3. Sed, an hæc applicatio defunctis facta infallibiliter effectum habeat, sicuti haberet, si viuens ritè dispositus applicaretur: non conueniunt Doctores. Nam Richard. in 4. dist. 20. art. 3. quæst. 3. Duran. q. 4. num. 12. Caiet. tract. 16. de indulgent. qu. 5. & 6. Cordub. qu. 13. & 15. opin. 4. Canuslib. 12. de locis. c. 13. ad 9. 8. Errant. Petr. Sotus lect. 5. de indulgent. Henric. lib. 7. cap. 7. num. 4. Layman. lib. 5. sum. tract. 7. cap. 7. n. 2. Bonac. disp. 6. quæst. 1. punct. 6. circa finem, asserunt, indulgentiam defunctis applicatam non habere infallibilem effectum, sed solum per modum cuiusdam impetrationis ex libera Dei acceptance, eò quod Iupremus Iudex non teneatur commutatione poenae sibi debite acceptare, nisi ad id sua se promissione obligauerit: at Deus non videtur obligatus ad acceptandam satisfactionem ex Christi, & Sanctorum meritis pro defunctis oblatam: quia Christus Dominus solum promittit soluendum in caelis, quod Pontifex soluerit super terram; non verò quod Pontifex soluerit sub terra, ubi animae detinentur, & poenas luunt. Confirmant suam sententiam ex vsu fidelium, qui postquam indulgentiam plenariam alicui defuncto applicarunt, medio, inquam, Sacrificio, vel alio pio opere, iterum reperunt eandem indulgentiam, quod superfluum esset, si infallibiliter haberet effectum. Sentiant ergo fideles solum habere effectum ex libera Dei acceptance.

4. Cæterum multò verius est stante legitima causa concessionis, æque defunctis, ac viuus Indulgentiam infallibiliter applicari quæ est sententia D. Thom. in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. q. 2. Soti dist. 21. quæst. 2. art. 1. & dist. 45. quæst. 2. art. 3. Nauar. notab. 2. 2. numer. 18. Suarez disp. 53. sect. 3. numer. 3. Valen. t. 4. disp. 7. quæst. 20. pun. ult. in medio. Coninch. disp. 12. dub. 10. concl. 3. Benzon. lib. 2. c. 52. Et colligitur ex illa epist. Leonis X. ad Caietan. ubi de distributione thesauri, & indulgentiarum concessione viuus, ac defunctis facta loquens, omnibus nulla distinctione facta affirmat prodesse; viuus per modum abolutionis; defunctis per modum suffragij, & vtraque distributionem ex apostolica autoritate provenire. At viuus prodest Indulgentia infallibiliter ex potestate à Christo accepta. Ergo etiam prodesse debet defunctis, cum ex eadem potestate applicatio proveniat. Et confirmo Pontifex à Christo potestatem accipit eius thesaurum dispensandi, & applicandi, non solum viuus, sed etiam defunctis causa legitima intercedente: ergo facta defunctis applicatione effectum obtinet.



obinebit, aliis inutilis esset hac potestas, neque differret ab ea, quam quilibet homo habet applicandi thesaurum Christi pro animabus Purgatorij; siquidem per vtramque potestatem offertur Deo satisfactio sufficiens; exorando illum, vt acceptam, & ratam habeat, illiusque intuitu penas defunctis remittat. Deinde Petro, cuiusque successoribus promissa fuerunt claves, quibus regnum caelorum non solum viuus, sed & defunctis aperitur indulgentiarum concessione. At, si indulgentia applicata defunctis infallibilem effectum non habent, clavis defectuosa est, & inutilis, vt pote quae nequit caelorum regnum defunctis aperire.

5. Ratio vero in contrarium ex probatione nostrae sententiae soluta est: negamus namque Petro, cuiusque successoribus non esse à Christo promissum, quod Deus Pater acceptaret satisfactionem oblatam ex thesauro Ecclesiae in compensationem poenae à defunctis debita: fuit enim hoc promissum, cum Petro dictum est: *Tibi dabo claves regni caelorum. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in caelis.* Nam, vt rectè inquit Valen. tom. 4. disp. 7. quæst. 20. pun. 5. in med. verbum, *super terram*, referri non debet ad personas soluendas; quasi solum existentes super terram solui possint; sed referendum est ad solutionis actum: quasi diceret: Quancumque solutionem in terris praestiteris, siue viuentium, siue defunctorum, rata erit in caelis. Sicut enim, *in caelis*, non refertur ad aliquam personam in caelis soluendam; sed ad solutionis actum: sic dicendum est de verbo, *super terram*. Et forte ob hanc causam non dixit Christus: Quodcumque absolueris super terram, sed, *Quodcumque solueris*, vt ex verbo, *solueris*, quod commune est solutioni iuridicae, & authoritatiue; & solutioni auxiliatiuae, indicaretur, potestatem concedi soluendi viuos per modum absolutionis, & defunctos per modum auxilij, & suffragij. Ad confirmationem nego, inutile esse iterum, aequè iterum eandem indulgentiam pro defunctis lucrari: quia nunquam est certum, de facto integrè obtentam esse tum ob defectum in causa, qui forte adest; tum ob defectum operis iniuncti, & dispositionis requisitae in eo, qui opus iniunctum exequitur, tum ex defectu acceptationis in animabus Purgatorij, si necessaria est.

6. Dixi in principio, hanc indulgentiam concedi animabus in Purgatorio existentibus: nam existentes in caelo, seu beatae, indulgentia non indigent; quippe nullum debitum habent: existentes vero in Inferno, seu damnatae, incapaces sunt cuiuslibet liberalis remissionis, tum ob carentiam gratiae, tum ob peccatum mortale, in quo perierunt. Deinde in Limbo existentes, quales sunt decedentes cum solo originali, incapaces indulgentiae sunt: tum ob defectum gratiae, tum, quia debitum personale non habent per indulgentiam remittendum. Quod si aliquo veniali affectu sint, adhuc incapaces sunt Indulgentiae suscipiendae ob gratiae defectum: & quia nunquam poena peccato debita remittitur, quin prius culpa remissa sit. Restat ergo, vt solum animabus Purgatorij Indulgentiae concedi possint.

7. Sed an omnibus in Purgatorio existentibus, difficultate non caret: quod indulgentiarum concessio defunctis facta non sit actus iurisdictionis in defunctos, sed solum in Christi thesaurum dispensandum. Potest ergo Pontifex quibusvis defunctis satisfactione indigentibus applicare, aut vnde constat illius potestatem ad solos defunctos characterē baptismali Insigni restringi? Quapropter Nauar. *de Indulgent. notab. lib. 7. cap. 18. n. 3.* Benzou. *lib. 7. de Inbil. cap. 15. dub. 28. assert. 6.* existimant, omnibus defunctis in Purgatorio existentibus, siue fuerint baptizati, siue non, posse Pontificem indulgentias applicare.

Ceterum, etsi resolutio huius difficultatis incerta sit, verosimilius censo, solum defunctis baptizatis indulgentiam concedi posse, eò quod thesaurus satisfactorum Christi, & Sanctorum relictus est Petro dispensandus in commodum fidelium, vt pote bonum Ecclesiae: ergo qui nunquam Ecclesiae portas intrarunt, illius participes esse non debent. Neque veri simile est, Pontificem eos defunctos à poena soluere, quos viuos absolueri non poterat. Præterea Communiter Doctores docent, vt vidimus *tract. de Sacrificio Missae*, Missae Sacrificium ex opere operato non habere effectum, nisi in his, qui Baptismi characterē fuerint insigniti: ergo neque indulgentiam illum habere debet, quippe ex opere operato suum effectum producit. Atque ita docent Suar. *disp. 53. sect. ult. num. 8.* Coninch. *disp. 12. dub. 10. concl. 5.* Laym. *lib. 5. sum. tract. 7. c. 6. n. 1.* Bonac. *disp. 6. quæst. 1. p. 5. n. 2.* vbi catechumenis viuus negat indulgentias applicari posse, etiam per modum suffragij: & licet promiserit sententiam suam circa defunctos exprimere, illius oblitus fuit *pun. 6.*

8. Superest dicendum de conditionibus requisitis, vt praedicta applicatio indulgentiarum pro defunctis effectum habeat. Et in primis ex parte concedentis manifestum est, requiri potestatem, quae solum in Pontifice residet, in aliis vero Praelatis ex illius tantum delegatione, quae raro fieri solet. Præterea adesse debet causa legitima, & proportionata concessioni:

quia thesaurus Ecclesiae non applicat Pontifex animabus Purgatorij, vt Dominus, sed vt dispensator, qui vt sit fidelis, & prudens, concessionem proportionare debet causae. Denique est necessarium, vt in forma concessionis defuncti expriman- tur, alias non censebitur indulgentia pro defunctis concessa valere enim tantum quantum sonat, & illis solis, pro quibus Pontifex suam intentionem declarati, quam tamen non censetur declarare ex eo solum, quod omnibus fidelibus indulgentiam concesserit. Sub nomine enim fidelium absolute pro- lato viuus tantum intelliguntur. Quapropter si ad defunctos extendere indulgentiam velit, illos debet necessariò exprime- re, vt ex communi sententia docet Suar. *disp. 53. sect. in fine. n. 7.* Bonac. *disp. 6. q. 1. p. 6. n. 7.*

9. Ex parte vero lucentis indulgentiam, certum est requiri, vt opus iniunctum exequatur: quia sub ea conditione indulgentia conceditur: debet tamen illud exequi intentione saltem virtuali, vt indulgentia applicetur defuncto. Tum quia in illius fauorem fit. Tum quia est quaedam defuncto donatio, & ad illius indulgentiae consecutionem requisita designatio. Applicare autem illud opus defuncto, quatenus ab opere satisfactorium est, regulariter non requiritur: quia indulgentia non conceditur in virtute satisfactionum operis iniuncti, sed in virtute satisfactionum Christi, & Sanctorum, ad quorum applicationem opus iniunctum, vt quid pium, & in cultum Dei cedens exigitur. Ab hac doctrina excipit rectè Suarez *disp. 53. sect. 4. n. 3.* Sacrificium Missae, eò quod effectum habeat ex opere operato: hoc autem, cum requisitum est pro concessione indulgentiae faciendae defuncto, ipsi defuncto applicari debet, sed non semper, sed quando in concessione dicitur: *Qui pro defuncto Missam dixerit, aut obtulerit eius animam à Purgatorio*. Secus verò, si non additum fuerit illud verbum, *pro defuncto*.

10. Insuper requirunt aliqui Doctores, obtinentem indulgentiam pro defunctis, debere esse in statu gratiae tempore, quo perficitur opus, & indulgentia defuncto communicatur. Sic Emmèn. *Sa verbo, indulgentia. num. 2.* Excipit tamen, nisi opus fuerit nomine Ecclesiae factum, vt Missae sacrificium. Sed immeritò hanc expostulat conditionem: gratia namque vt in superioribus dictum est, non requiritur, vt principium operis iniuncti: quia esto, nec satisfactorium fit, nec meritum, aptum esse potest ad indulgentiae consecutionem, sed requiritur, vt obicem tollat, & subiectum disponat indulgentiae suscipiendae: at viuus, qui indulgentiam pro defuncto obtinet, exequendo opus iniunctum, indulgentiam non suscipit, sed conditionem pro consecutione indulgentiae exequitur: ergo status gratiae non est in illo necessariò requisitus. Atque ita docet Gabr. *in addit. ad lect. 57. in canon. Suar. disp. 53. sect. 4. n. 6.* Coninch. *disp. 12. dub. 6. & 11.* Laym. *lib. 5. sum. 17. 7. cap. 6. num. 1.* Rodrig. *t. 2. qq. regular. qu. 96. art. 4.* Tolet. *lib. 6. cap. 26. & pluribus aliis relatis Bonacian. disp. 6. quæst. 1. p. 6. num. 11.*

11. Ex parte defuncti aliqui plures condiciones inutiliter requirunt: quippe sola gratia ipsi inharens, & ab eis incapabilis sufficit: ea enim reddunt apti, vt Deus satisfactionem in eorum fauorem oblatam acceptet, & poenam quam sibi debent remittat. Primò igitur Henrici. *quolib. 11. quæst. 26.* Caiet. *tract. 16. de indulgent. quæst. 5. vers. Quoad tertium.* Nauar. *de indulgent. notab. 22. num. 42.* existimant, defunctum, qui in hac vita existens negligens fuit pro defunctis orare, & indulgentias lucrari, & pro suis peccatis satisfacere, indignum esse, cui indulgentiae applicentur. Cui sententiae non leuiter fauet August. relatus in cap. *non astimemus. 13. qu. 2.* ibi: *Quamuis non pro quibus sunt, omnibus profint, sed his tantum, quibus diuiniuium comparatur, vt profint.* Et Gregor. *lib. 4. Dial. 39.* dicens: *Hoc tamen sciendum est, quia illis saltem de minimis nihil purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac aduice vita profint, vt illic obtineat, promeratur.* At certe, qui sic negligens fuit in obtinendis indulgentiis, satisfactione pro peccatis exhibenda, & ratione pro defunctis fundenda, nec comparauit, nec promeritus fuit, vt orationes si delium & indulgentia illi profint. Ergo. Nihilominus alij Doctores, Henrici. *lib. 7. c. 8. n. 3.* Suar. *disp. 53. sect. 4. n. 9.* Valent. *disp. 7. q. 20. punct. 5. in fine.* Coninch. *disp. 12. dub. 11.* Laym. *tract. 7. cap. 7. n. 4. in fine.* praedictam conditionem omnino reiciunt: & merito, quippe ad indulgentiae applicationem solum requiritur ex parte eius, cui est applicanda, ne ponat obicem: quia est quaedam liberalis donatio, & poenarum remissio. At eo ipso quo caret peccato, non ponit obicem. Ergo negligentia praecedens obitare non potest, quandoquidem peccatum mortale non constituit. Quod si de facto mortale fuit, per penitentiam deletum est. Neque contrarium docuerunt August. & Gregor. sed affirmant non prodesse orationes, & sacrificia eis, qui in vita consequendo gratiam non comparant, vt profint: de hac verò negligentia in satisfaciendo nec verbum locuti sunt.

Præterea alij expostulant, vt animae defunctorum, quibus indulgentiae applicantur, eas acceptent: quia est quaedam donatio in eorum fauorem facta. Sed haec sententia, si de expressa acceptatione loquatur, falsa est: redderet enim indulgentiam



gentias defunctorum omnino incertas, cum incertum sit, an defuncti orationes viuorum, & indulgentiarum applicationes agnoscant. Si verò de acceptatione generali, & habituali loquatur, sustineri potest: quia omnes defuncti in Purgatorio existentes hanc habent voluntatem, vt sibi applicentur, quae necessaria fuerint, vt à tam graui poena liberentur. Aliàs nec suffragia viuorum illis prodesse possent. Adde neque hæc generalis voluntas in rigore requiritur: quia satisfactio Christi, quae per indulgentiam applicatur, non ipsi defunctis offertur, vt ipsi teneantur acceptare, sed offertur Deo, qui eam acceptans poenam alioquin defunctis sustinendam remittit: ad quam remissionem opus non est, quod ipsi defuncti concurrant.

## PUNCTVM XI.

## De cessatione Indulgentiae.

1. Indulgentia pro limitato tempore concessa, illo finito, cessat.
2. Per reuocationem cessare potest, & qualiter faciendâ sit, vt habeat effectum.
3. Qualiter destructo loco indulgentia localis cesset.
4. Præter predictos modos, nullus alius est, quo propriè indulgentia cesset.

**Q**UAE diximus tractat. 3. de legibus, disput. 4. à punct. 14. de cessatione priuilegij huic instituto deseruice possunt, cum indulgentia quoddam priuilegium sit à principe concessum.

Triplèci tantum modo inuenio indulgentiam cessare posse. Primò, si temporalis sit, seu pro limitato tempore concessa; nam eo finito indulgentia cessat: quia extendi non potest ultra intentionem concedentis. Et idem est, si sub aliqua conditione esset indulgentia concessa, & illa conditio cessaret, arg. text. in cap. *Chim Capella. de priuileg. cap. Super literas. de rescript. &* tradit Cordub. q. 36. de indulg. propos. 4. Nauar. notab. 31. n. 25. Suar. disp. 57. sect. 2. n. 2. Coninch. disp. 12. dub. vlt. in hac parte est aliqua difficultas.

2. Secundò cessare potest per reuocationem factam ab eo qui concessit, vel illius successore, vel superiore: quia indulgentia, sicut pendet in fieri à voluntate concedentis, ita in conseruari, colligiturque manifestè tum ex Extrauag. *Quemadmodum de penitent. & remiss. & Clem. Dudum. §. Nos autem. de sepultur.* tum ex vsu frequenti Ecclesie passim indulgentias reuocant. Neque ad hanc reuocationem, vt valida sit, requiritur specialis causa: vt verò licet fiat, præter honestatem finis, qui in omni actione intervenire debet, regulariter aliqua causa adesse debet, quæ specialem Dei cultum, vel Ecclesie bonum, vel maiorem fidelium fructum respiciat, aliàs Pastor Ecclesie non videbitur satis prudenter se gerere, & iuxta sui muneris obligationem, & secundum quod exigit natura beneficij à se facti, quod decet esse mansurum, reg. decet. de regul. iuris, in 6. leuitatitque, & inconstantiæ argui poterit. Reuocatio autem non habet effectum quousque in notitiam illorum perueniat, in quorum fauorem indulgentia concessa est: quia sic præsumitur esse reuocantis voluntas, ne requisita opera ad indulgentiam præstent, & illius fructu fraudentur, vt docet Syluest. verbo *indulgentia. n. 17. Sâ num. 9. Suar. disp. 57. sect. 2. num. 8. & 6. Bonac. alios refertens disp. 6. quest. 1. p. vlt. n. 8.*

3. Tertio, cessat indulgentia per destructionem loci, in cuius fauorem concessa hominibus est: quia nequeunt eam lucrari, nisi eo in loco, estque loco accessoria. Si verò in eodem loco iterum reedificetur, maxime si post destructionem non longum tempus instantiationis intercessit, eadem indulgentia reuertitur, quæ tempore destructionis suspensa erat: quia eadem Ecclesia moraliter censetur, quando sub spe reedificationis destructa fuit, vt docet ex communi sententia Bonac. disput. 6. quest. 1. p. vlt. num. 4. Suar. disput. 52. sect. 1. num. 8. & 9. Excipit tamen, nisi in poenam delinquentium Ecclesia destruarur: quia eo casu non suspenduntur priuilegia, sed omnino pereunt, nouaque concessione indigent, vt dixit Innocent. in c. 2. de noui operis nunciâ, quem refert Glof. in reg. priuilegium de reg. iuris, in 6. & tradit Laym. l. 5. sum. tr. 7. c. 1. n. 5. At si Ecclesia siue auctoritate Superioris, siue de facto destructa in alium locum, sub eodem titulo, & Parrono transferatur edificanda, communis sententia docet, teste Innocent. & Laym. supra, & Ludouic. Bonon. tract. de indulg. n. 79. omnia Priuilegia, atque adeò indulgentias transferri. Quod verissimum credo, quando non ratione finis & loci, sed ratione oppidi, religionis, vel Parroni tali Ecclesie priuilegia concessa sint, vt bene notauit Suar. dicta disp. 52. de indulgent. sect. 1. num. 9. & lib. 8. de legib. c. 5. in fine.

4. Præter hos modos nullus alius est, quo indulgentiæ concessio propriè cesset, vt bene expendit Suar. disp. 52. sect. 2. Vnde indulgentia absolute concessa non perit mox concedentis:

quia est gratia, ex textu in cap. *Super gratia. de officio delegat. in 6.* Et quia est beneficium Principis, quod decet esse manifestum teste Bonifac. in cap. *Decet. 15. de reg. iuris. in 6.* vbi Gloss. verb. 2. *Decet. & c. fin. de officio delegat. in 6. verbo, Spirare. &* tradit Nauar. notab. 31. n. 25. c. *Placuit. de penit. dist. 6. n. 161. Cordub. lib. 5. de indulgent. quest. 36. propos. 1. Suar. dicta sect. 2. n. 2.* Et hæc locum habent non solum in indulgentiis concessis à Pontifice; sed etiam ab Episcopo, vel Archiepiscopo, quoniam à Legato, eius officio finito, argum. cap. *vlt. de officio Legati. &* tradit ibi Glossa. Horum enim potestas in indulgentiis concedendis non est quoad durationem, sed solum quoad quantitatem à iure restricta: & tradit Nauar. dicto cap. *Placuit. num. 164. Suarez sect. 2. num. 4. Gonzales ad reg. 8. Cancel. Gloss. 12. num. 38.*

Neque etiam cessat Indulgentia, ex eo, quod eidem loco similis concessa fuerit, nulla in impetratione mentione prioria facta: quia ob hunc defectum posterior concessio nullius est valoris, iuxta reg. 57. *Cancelarias.* At prior concessio salua perseverat, vt bene Suar. n. 12.

Neque item cessare potest renunciatione: quia nemo renunciare potest, quod suum non est: Indulgentia enim, antequam de facto obtineatur, non est lucrantis, sed concedentis, à cuius voluntate pendet; ideoque poterit quilibet renunciare eius consecutionem, non tamen potestatem laerandi.

Denique neque ex cessatione causæ cessat indulgentia, si causa à principio proportionata fuit concessioni: quia indulgentiæ duratio non pendet ex duratione causæ; sed propter causam temporalem indulgentia perpetua concedi potest, sicut indulgentia vnius anni conceditur ob dedicationem Ecclesie, quæ vno die finitur: quæ omnia latè pertractata sunt dicto loco de priuilegio.

## PUNCTVM XII.

## De Iubileo Romano, Compostellano, &amp; extraordinario.

## §. II.

## De natura, &amp; origine Iubilei: &amp; explicatur Romanus Iubileus.

1. Expenditur nomen Iubilei.
2. Iubilei usus est antiquissimus.
3. Quæ sit differentia Iubilei ab indulgentia.
4. Qualiter Romanus Iubileus concessus sit.
5. Quæ contineantur in predicto Iubileo.
6. Quod sit opus iniunctum ad huius Iubilei consecutionem.
7. Indulgentia plenaria suspenduntur virtute huius Iubilei.
8. Non suspenduntur indulgentia plenaria, & Iubileus Compostellanus.
9. Item omnes facultates, quæ ratione querendæ indulgentiæ conceduntur.
10. Indulgentiæ, & facultates Bullæ Cruciatæ non suspenduntur, esto, aliqui oppositum sentiant.
11. Neque suspenduntur facultates absoluenti, & dispensandi Religiosis concessæ.
12. Aliqui censent, sic suspendi predictas Indulgentias, & facultates, vt indigeant noua concessione.
13. Verius est, solo durante anno Iubilei suspendi, & absque noua concessione vim obtinere eo anno transacto.
14. Fit satis rationi opposita.

**I**ubileus, vel, vt aliis placet, Iobeleus, significauit Hebræis annum quinquagesimum remissionis, iuxta text. *Numer. vlt. & Leuit. 25. & 27.* illo enim anno donabantur serui libertati, relaxabantur delicta, prædia diuendita ad antiquos possessores reuertebantur, exules in patriam, & pristinam libertatem redibant, vt habetur *Leuit. 25.* Hinc ergo hæc vox Iobelei translata est ad tempus gratiæ significandum, vt constat ex *Haic cap. 61. n. 2. iuncto Luca 4. n. 18.* Deinde desinata est ad significandam remissionem, tam primùm anno centesimo postmodum quinquagesimo: tandem vigesimoquinto concessa est visitantibus Romæ Limina Apostolorum Petri, & Pauli: & ex hac significatione omnibus aliis plenariis remissionibus Iubilei vox applicatur.

2. Vnus Iubilei ita est antiquus, vt initium illius non agnoscat: quapropter non improbabilius Henriq. lib. de Indulgent. cap. 15. num. 6. Nauar. notab. 26. n. 1. existimant à tempore Apostolorum Petri, & Pauli incepisse. Qui autem fuerit Pontifex primus, qui authenticè, & scriptis concessit Iubileum, incertum est. Bonifac. namque VIII. qui floruit anno 1294. Iubileum centesimum renouauit, vt colligitur satis ex Extrauag. *Antiquorum de penit. & remissionib. vt tradit Nauar. notab. 7. n. 4. Caiet. tract. 15. cap. 1. pluribus relatis Henric.*



lib. 7. c. 4. litt. H. Ideoque ante Bonifac. concessus erat. Et licet Nauarr. notab. 4. n. 1. & notab. 7. n. 4. quem aliqui recentiores sequuntur, affirmet, esto, Bonifac. V III. non fuerit primus, qui Iubileum concesserit, fuisse tamen primum, qui Iubileum scriptis mandauerit, verum non est: quia Alexand. III. qui floruit anno 1162. fere centum, & viginti annos ante Bonifac. Bullam expedit, in qua Ecclesie Compostellanae concedit Iubileum instar Romani, refertque Calixtus II. Eugenium, & Anastasium Pontifices idem concessisse.

3. Differentia autem inter Iubileum & Indulgentiam ea est, teste communi sententia, vt Iubileus, vltra Indulgentiam plenariam, aliquas facultates contineat, tum absoluedi a referuatis, tum dispensandi vota, relaxandique iuramenta, & similia, sicuti tradit Nauarr. notab. 8. & 10. Cordub. 9. 11. Suar. disput. 50. sect. 4. num. 8. Quapropter publicantes Indulgentias caute procedere debent, ne sub nomine Iubilei Indulgentiam plenariam publicent: erunt enim occasio, vt fideles credant, verum Iubileum cum facultate absoluedi a referuatis esse concessum, cum tamen non sit, vt bene notauit Suarez dicta sect. 4. n. 8.

4. Romanum igitur Iubileum centesimo quoque anno concessit Bonifac. V III. in Extrauag. Antiquorum de poenit. & remiss. Sed Clemens V I. in Extrauag. Vniuersitatis eodem tit. ad quinquagenarium reduxit. Quam formam approbarunt Vrban. VI. Martin. V. & Nicol. V. Postmodum Paul. II. quem sequitur et Sixtus IV. in Extrauag. Quemadmodum de poenit. & remissio. reduxit ad annum 25. sicque reliqui Pontifices confirmarunt, specialiter Gregor. V III. in sua Constitutione 10. quae incipit, Dominus, ac Relempor nosse, quamque ad verbum refert, & late expendit Nauarr. notab. 32. & seqq. Congruentia autem harum reductionum, & mutationum videri possunt in supra. Extrauag. Antiquorum Vniuersitatis & Quemadmodum & ex Gloss. ibi.

5. Fautor, qui in praedicto Iubileo continetur, est Indulgentia plenissima omnium peccatorum, facultas vero absoluedi a referuatis, commutandi vota, & componendi super male ablatis incertis illicito contractu acquisitis, est expressè in supra dictis Bullis non habetur, colligitur tamen satis ex suspensione, quae habetur in Extrauag. Quemadmodum. vbi suspenduntur facultates commutandi vota, aut super eis dispensandi: necnon super iniquè ablatis componendi, aut ea quomodolibet remittendi, itemque deputandi Confessores cum potestate absoluedi a referuatis, quae certe non suspendentur, nisi per Iubileum concessa essent, & illius consecutioni obfisterent. Idque probat praxis, & vsus Romanae Ecclesiae. Opus autem, quod in iungitur, vt necessaria conditio pro Iubileo consequendo, est visitatio Basilicae Apostolorum, non vtique, sed per triginta dies, siue continuos, siue interpolatos, si Romani, seu incolae fuerint: si autem forenses, seu peregrini, per quindecim dies. Cauetur tamen in supra dictis Bullis, & est fauor specialis, non impediti ab huius Iubilei consecutione, qui post iter inceptum impediens fuerit Romam adire, vel in ea existens Ecclesiam Apostolorum visitare. Tandem, ne fideles ab hac tanta gratia consequenda detineantur, omnes aliae Indulgentiae, & facultates, quae consecutionem huius Iubilei retardare possunt, suspenduntur.

Circa fauorem in praedicto Iubileo concessum, nihil occurrit notandum. Nam ex dictis in hoc tractu. constat, qualiter Indulgentia plenissima omnium peccatorum remissionem contineat. Qualiter vero potestas commutandi vota, aut super eis dispensandi, componendi male ablata, absoluedi a referuatis intelligatur, ex vsu, & consuetudine Romanae Curiae petendum est.

6. Opus verò quod in iungitur est, vt Romani, seu incolae Basilicas Apostolorum Petri, & Pauli, & Sancti Ioannis Lateranensis, & Sanctae Mariae maioris Ecclesias semel in die per triginta dies continuos, siue interpolatos deuote, & reuerenter visitent, ac pro ipsorum, totiusque populi Christiani salute pias ad Deum preces fundant. Formam precum non determinat Pontifex: ideoque cuiuisvis voluntari, & deuotioni remittitur. Si verò fuerint forenses, & peregrini per quindecim dies. Sic expressit Gregor. XIII. in sua Bulla. Ex quibus constat, amplius à Gregor. requisitum esse, quam fuit requisitum à Bonifac. V III. Clement. VI. & Sixto IV. Etenim ab iis sola visitatio Basilicae Apostolorum requisita erat: at à Gregorio addita fuit visitatio Ecclesiae S. Ioannis, & S. Mariae; & insuper, vt in singulis preces piae ad Dominum effundantur, non vtique, sed ad minus semel in die. Quapropter huic obligationi non satis faceret, qui vnam ex illis Ecclesiis aliquo die visitandam omitteret, tamen sequenti die eam bis visitaret, vt rectè Nauarr. notab. 12. n. 41. Nomine, Romani, non debent intelligi, qui à Roma originem, & ortum habent: neque incolae intelligendi sunt, qui domicilium propriè Romae obtinent, sed illi veniunt intelligendi, qui ad longum tempus, scilicet, per annum, siue certum, siue incertum, Romae commorantur, esto, animum non habeant ibi perpetuo manendi, sed potius voluntatem habeant recedendi. E contra verò forenses, seu peregrini censendi sunt, qui, esto, à Roma originati sunt, ibi

habitant ad breue tempus insufficienti sane, vt prudentis arbitrio habitatores dicantur ibique conueniantur. Igitur Romani verè poenitentes & confessi per triginta dies continuos, siue interpolatos visitantes praedictas quatuor Ecclesias semel in die, & aduena, seu peregrini per quindecim, plenissimam Indulgentiam consequuntur. Quod si iterum, & iterum hoc opus iniunctum reperierint, toties eandem Indulgentiam consequuntur, vt ex supra dicto euidentissimè constat, & optime probat Nauarr. notab. 32. n. 46.

7. Circa suspensionem Indulgentiarum, & facultatum, aduerte, non quilibet Indulgentias, sed solum plenarias, etiam ad instar Iubilei concessas à Sede Apostolica, vel illius auctoritate suspendi, vt constat ex Extrauag. Quemadmodum, & ex Bulla Gregor. XIII. quae incipit, Quoniam sancti Iubilei, quam ad verbum refert Nauarr. notab. 33. de Indulg. Et licet ex Extrauag. Quemadmodum. Indulgentiae plenariae singularibus personis concessae, suspensae non erant: at ex Bulla Gregorij omnes suspenduntur: inquit enim; Nos pro consequenda eo anno Indulgentia, quae dictis litteris expressa est, multorum Romanorum Pontificum morem sequuti, de Apostolica potestate plenitudine suspendimus ad nostrum, & Sedis Apostolicae beneplacitum omnes, & quascunque Indulgentias plenarias, etiam ad instar Iubilei, & earum causas facultates, concessiones, & Indulta quaecunque à nobis, & dicta Sede, eiusque auctoritate quibuscunque Ecclesiis, & Monasteriis, viriisque sexus, ac Conuictibus, Domibus, Congregationibus, Hospitalibus, & pijs locis, necnon Ordinibus etiam Mendicantium, ac Militarium, necnon Confraternitatibus, & Vniuersitatibus, earumque, & alijs cuiusque dignitatis, gradus, & conditionis, personis Ecclesiasticis, & secularibus, per vniuersum orbem constitutis, etiam per modum communicationis, extensionis, & alijs quomodocunque perpetuo, vel ad tempus, quibusuis modis, & ex quibusuis causis concessas, & concessas quibuscunque illa sint concepta, formulis, ac restitutionibus, reuocationibus, & conditionibus, alijsque clausulis, & decretis communita. Decernentes interim illas, & litteras desuper concessas nulli proptus suffragari debere, necnon irritas, & inane quicquid fecerit per quoscunque contigerit irritas: Indulgentias Basilicarum, & aliarum Ecclesiarum, vrbis nihilominus in suo robore duraturas. Praecipiturque, ne aliae Indulgentiae inserim publicentur, aut in vsum demandentur, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, non obstante, &c. Efficitur ergo omnes Indulgentias plenarias, praeter eas, quae Roma obtinentur, suspendi omnes, inquam, Indulgentias plenarias in fauorem viuorum concessas: nam haec obtinere possunt Iubilei concessioni. Secus verò Indulgentias plenarias, quae per modum suffragij defunctis applicari possunt: quia harum consecutio Iubilei consecutionem non retardat, vt notauit Laym. lib. 5. summ. tract. 7. c. vltim. in prime.

8. Ab hac tamen exceptione generali excipitur Indulgentia plenaria, & Iubileus Compostellanus ex Breui quodam Sixti V. dato Romae 15. April. anno 1589. qui in Ecclesia Compostellana habetur, in quo inquit Pontifex, auctoritate Apostolica, existens Praesentium, declaramus suspensionem per praedictum Gregorium ratione anni Iubilei factam, à fine dicti anni expirasse, & aliquod praedictis Indulgentiis vestrae Ecclesiae iuxta formam Concilij Tridentini concessis non generaliter impedimentum: & propterea Christi fideles eandem Ecclesiam pie, & deuote visitantes illis omnibus perpetuo frui, & gaudere potuisse in omnibus, & per omnia, pro ut ante dictam suspensionem ex concessionibus praedictorum praedecessorum, vt praefertur, frui, & gaudere poterant, & pro ut vsi, & grauius fuerunt, non obstante suspensione praedicta ceterisque contrariis quibuscunque, &c.

9. Praeterea suspenduntur omnes facultates, & Indulta quaecunque causa Indulgentiae plenariae quaerendae concessa, qualia reputantur illa tantum, quorum sit mentio in Extrauagant. Quemadmodum, scilicet, facultas eligendi Confessarium cum potestate absoluedi a referuatis, censuris, & alijs poenis, commutandi vota, vel in eis dispensandi, remittendi, seu componendi male ablata: haec enim frequenter concedi solent gratia consequendi Iubileum, & moraliter necessaria sunt illius commodae consecutioni. Quapropter facultates eligendi Confessorem, absque illa qualitate absoluedi a referuatis, non suspenduntur, neque item, quae habentur cum illa qualitate, modo non sint à Pontifice, vel eius auctoritate concessae, sed concessae sint Episcopis, aliisque Praelatis auctoritate ordinata vtentibus. Deinde facultates remittendi, vel componendi incerta, si male ablata non sint, nec denique, aliae facultates, & Indulta edendi oua, & lactinia tempore Quadragesimae, celebrandi in altari portatili extra Ecclesiam, vel tempore interdicti, & similia, vt rectè notauit Nauarrus notab. 28. per totum.

10. Sed, an ex supra dicta reuocatione censentur suspendi Indulgentiae plenariae, & facultates commutandi vota, & componendi incerta male ablata, absoluedi a referuatis in Bulla Cruciatæ concessae, difficultate non caret. Nauarr. dicto notab. 28. n. 7. credit suspēdi. Nam esto, concessa in remunerationem, vel ob causam onerosam, praeterea aliquo interueniente



ueniente regulariter tolli non possint; bene tamen causa iusta intercedente, etiam non reddito pretio, ut diximus tract. de legib. disp. 4. par. 11. Sed in presenti non tollit Pontifex indulgentias, & facultates predictas, sed suspendit: quod longe minus est. Potest ergo id prestare hac causa iustissima intercedere, scilicet, ut Romanorum Iubileum maiori cum auiditate, deuotione, fideliumque concursu obtineatur. Quod autem de facto id praestiterit Pontifex, indicant illa verba generalia: *Omnia in dextra quouis modo, quibusque causis, & quomodolibet concessa.* quae comprehendere videntur concessa per contractum, & in remunerationem. Nihilominus praedicto pun. ult. §. 2. n. 7. pluribus relictis firmam indulgentias, facultates, & gratias concessas in Bulla Cruciatæ non suspendi anno Iubilei Romani, eò quòd ad horum suspensionem non videatur sufficere clausula illa generalis, sed necessariò exprimi debeat modus concessionis per contractum, vel remunerationem.

11. Deinde dubitari potest, an facultas absoluedi à reuerentis, & commutandi vota Religiosorum concessa virtute huius Iubilei suspensa sit? Videtur enim vera pars affirmans, cum sint à Sede apostolica personis singularibus concessa, vel concessa Communitati Religiosorum, & reuerentio facta sit omnium facultatum à Sede apostolica concessarum, tum singularibus personis, tum Communitatibus, tum locis piis. Nihilominus contrarium est dicendum ex praxi, consuetudineque recepta: quippe hæc facultas est singulis Religiosis concedatur, conceditur tamen in fauorem totius Religionis, & in maximum Ecclesie bonum. Non igitur conseri debet reuocata ex clausula generali, nisi illius facta fuerit expressa mentio. Atque ita docet Henric. l. 7. c. 28. n. 7. & c. 21. n. 3. in commento, l. 11. R. Sanch. l. 4. de voto. c. 54. in fine, & probabile reputat Nauarr. de indulg. notab. 28. in fine.

12. Porro exillimat Nauarr. d. notab. 28. a. n. 27. & notab. 33. in fine. Zerola verbo, *Annus sanctus* §. Ad 7. Rodrig. in explicat. Cruciatæ. §. 10. dub. 6. indulgentias plenarias, facultates anno Iubilei suspensas, indigere noua confirmatione, ut transacto anno Iubilei proficiat. Extrauag. *Quemadmodum*. & ex Bulla Gregor. X III. suspensio sit ad beneplacitum Pontificis: ergo quouique ipse Pontifex moriatur, vel voluntatem mutet, suspensio perseverat. Neque obstat dicere, finito anno cessare causam suspensionis, quæ fuit, ne fideles retraherentur à Romana peregrinatione, scientes alias indulgentias plenarias absque illo labore consequi posse: quia suspensio, & reuocatio indulgentiarum non pender in conseruari à perseverantia finis, sed ob finem breui tempore transeuntem, potest reuocatio esse perpetua: sicuti de indulgentiarum concessione diximus Præterquam quòd perseverat finis, etiam finito anno Iubilei. Nam, si scientes fideles, eo anno finito posse statim plures indulgentias plenarias consequi, spe illarum consequendarum abstinere à consequendo Romano Iubileo difficili, & laborioso.

13. Cæterum verius est, non solum iure nouo spectato, sed etiam antiquo, solo durante anno Iubilei indulgentias, & facultates suspendi. Sic docet Laym. lib. 5. sum. tr. 7. c. 8. n. 2. Moueor ex praxi, vsique recepto publicandi indulgentias finito anno, absque vlla Pontificis renouatione. quod tamen nullatenus facerent viri aliqui in religio, & docti, si crederent, suspensionem perseverare. Et quidem si spectemus Bullam vltimam suspensionis, quam Urban. VIII. anno 1625. edidit, res videtur indubitata, cum expresse dixerit durante eo anno. At, si spectemus Bullam Greg. & Extrauag. *Quemadmodum*. esto difficilior apparet finiti suspensionem anno finito: at satis probabiliter id coniectare possumus ex eo, quod Sixtus I V. qui fuit author huius suspensionis, in Extrauag. *Et si Dominici*. edita ab ipso quinque annis post suspensionem factam, supponit plurimos, tum singulares personas, tum Communitates habere facultates absoluedi à reuerentis, illisque vti, & indulgentias plenarias querendi: siquidem eas facultates restringit: quod fieri non posset, si omnes indulgentias, & facultates à Sixto, & Sedè apostolica concessa suspensa perpetuò fuissent. Item Greg. XIII. præcipiens, ne alia indulgentia publicentur, aut in vsum deuantur, addidit aduerbium, *interim*, quod manifestè indicat prohibitionem solo anno Iubilei durare, illòque transacto finiti, posseque indulgentias, sicut ante ipsius annum Iubilei, publicari.

14. Neque ratio contraria virget: nam esto, beneplacitum absoluedi sempiternè duret vsque ad mortem, vel illius reuocationem, secus est de beneplacito, quod ad limitatum tempus restringitur, quale præsumitur ex supra dictis præfens: præstant enim illa verba hunc sensum: Suspendimus omnes indulgentias, facultates, & indulta, durante hoc anno, ad nostrum beneplacitum, ne, inquam, absque beneplacito nostro vti illa facultate aliquis possit, neque vllam indulgentiam obtinere. Quod tamen beneplacitum aliquando solet Pontifex habere, sicuti habuit Urbanus VIII. anno 1625. erga Societas I e s u Religiosos in articulo mortis constitutos, quibus illo anno Iubilei permisit indulgentiam plenariam obtinere iuxta suæ Religionis priuilegia.

## Compostellanus Iubileo explicatur.

1. Statuitur forma concessionis huius Iubilei.
2. Commemorantes Compostellæ, sicuti aduenas, obtinere Iubileum possunt.
3. Cum festum S. Iacobi incidit in Dominicam, & Iubileo toto anno durat, non tenentur incolæ per triginta dies visitare Ecclesiam, ut indulgentiam obtineant, sed semel tantum sufficit.
4. Qui non visitant Ecclesiam D. Iacobi, non obtinent indulgentiam.
5. Iubileo Compostellanus non suspendit, sicut Romanus, gratias, & facultates.
6. Pluries eodem anno obtinere potest hic Iubileo.
7. Potestas absoluedi à reuerentis extenditur ad reuerentia Episcopos, & religionum Prælatos, nisi noua concessione limitata fuerit.
8. Negant aliqui extendi ad contenta in Bulla Cæna.
9. Verius videtur oppositum.
10. Fit satis opposita ratio.
11. Virtute huius Iubilei non videtur vota commutari posse.

1. **A**lexander III. Pontifex Maximus anno millesimo sexcentesimo septuagesimo, 7. Kal. Iulij, Bullam expedit, quæ incipit, *Regis æterni*. in qua primò refert, Calixtum II. suum prædecessorem, concessisse omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, verè penitentibus, & confessis, Ecclesie S. Iacobi in Compostella visitantibus, in anno, in quo festum eiusdem S. Iacobi in Dominica venerit, à vigilia Circumcisionis, & per integrum illi annum, vsque ad diem eiusdem Circumcisionis, & per totum diem in fine illius anni in diebus, quibus magis ei placuerit visitare, ut omnes & singulas illas peccatorum indulgentias, & remissiones, etiam plenarias, quas visitantes Ecclesie, & Basilicæ vrbis, & extra vrbem Romæ anno Iubilei consequerantur, cum facultate deputandi Confessores, qui ad dictam Ecclesiam per consequenda indulgentia huiusmodi confluentes, etiam in casibus apostolicæ sedis reuerentis absolueret, ac etiam eisdem Christi fidelibus in eiusdem S. Iacobi, & translationis corporis sui, ac dedicationis eiusdem Ecclesie festiuitatibus Ecclesiam prædictam à primis vespers vsque ad secundas vespers, & per totum diem in clausuræ deuotè visitantibus annuatim, ut plenariam indulgentiam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, consequerentur perpetuis futuris temporibus datatam concessisse. Postmodum ipse Alexander III. loquitur: Nos igitur ad hoc prædecessorum nostrorum sanctæ memoriæ eiusdem Calixti Pape, ac Eugenij, & Anastasij vestigijs inderentes, ad gloriam omnipotentis Dei, totiusque religionis Christianæ augmentum, quæ ipsius gloriosum Apostolum ad eius Ecclesiam Compostellanam huiusmodi deuotionis causa de diuersis mundi partibus dimissis parentibus, amicis, liberis, patria, ac aliis temporalibus bonis per mare, terramque continuè confluunt, in numero copioso, quique animarum salutem supremis desideramus affectibus, & dignis, volumus honoribus frequentari, & ut ipsi Christi fideles in eadem se recognoscat Ecclesie Christi muneribus reuerentis, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, eius auctoritate confetti, omnes, & singulas prædictas indulgentias, & Iubileum ipsum eodem modo, & forma, quo Romana Ecclesia habet, etiam si letetur Compostellana Ecclesia pro singulari Beati Iacobi deuotione tenere, anno, videlicet quo, ut præfertur, Festum dicti Apostoli Iacobi in Dominica venerit, & per totum annum integrum, ut præmittitur, nec non in diebus illis, scilicet, Sancti Iacobi, & translationis corporis sui, & dedicationis eiusdem Ecclesie plenariam indulgentiam annuatim consequantur visitantes prædictam Ecclesiam, ut præfertur. Auctoritate Apostolica, & ex certa scientia approbamus, roboramus, & confirmamus, ac perpetua firmitatis robore tenere in perpetuum decernimus, & insuper illas de nouo eisdem modo, & forma in omnibus, & per omnia, ut supra, concessimus fuit, concedimus, & indulgemus, & perpetuis volumus futuris temporibus duraturas, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis.

2. Circa intelligentiam prædicti Iubilei aliquot difficultates enodandæ sunt. Prima, an commemorantes Compostellæ prædictum Iubileum obtinere possint? Rationem dubitandi dederunt ea verba Alexandri, quibus motus fuit ad hanc indulgentiam concedendam; scilicet quòd ex diuersis mundi partibus multè ad visitandum corpus D. Iacobi, deuotionis causa, conflunt, quæ in incolis non videntur procedere. Sed omnino dicendum est, aquè incolas, ac peregrinos prædictum Iubileum obtinere posse, omnibusque commune esse. Tum quia in prædicta Bulla generaliter dictum est: *Omnibus, & singulis vtriusque sexus fidelibus, & paulò inferius. Et ut ipsi Christi fideles*. Tum quia hic Iubileo concessus est ad similitudinem Romani, & eodem modo, & forma, saltem quoad extensionem in-



dulgentiarum, & quoad personas, quibus communicandæ sunt. Iubileum autem Romanum non solum exteri, sed incolæ obtinere possunt: ergo etiam hoc iubileum. Tum quia beneficium Principis latè debet interpretari, præcipue cum nulla adest causa restrictionis: nam esto, finis concessionis fuerit peregrinorum concursus; concessio tamen communis, & absoluta fuit: quia augmentum deuotionis in D. Iacobum non solum ex peregrinorum concursu, sed ex incolarum deuota visitatione prouenit. Adde, esse rationi dissonum, vt incolæ priuarentur fructu spirituali, qui peregrinis, de exteris conceditur.

3. Secunda, an anno, quo S. Iacobi festiuitas venerit in Dominica, teneatur Compoftellani per triginta dies continuos, vel interpolatos, & exteri peregrini per quindecim, eius Ecclesiam visitare? Et ratio dubij est: quia Alexander III. concessit eo anno Compoftellanæ Ecclesiæ iubileum eo modo, & forma, quo Romana Ecclesia habet. Sed Romana Ecclesia obligat Romanos visitare Ecclesias per triginta dies, & peregrinos, & forenses per quindecim. Ergo idem in Compoftellana Ecclesia fieri debet. Cæterum omnino dicendum est, sufficere, si semel contriti, & confessi Ecclesiam D. Iacobi visitauerint: quia neque Calixtus, neque Alexander illam trigesimalam, seu quindecimam visitationem expofularunt, sed solum visitationem, quæ necessarij de vna vice intelligi debet, argum. leg. Boies §. Hoc sermone. de verbor. significat. vbi sermo simpliciter prolatus de prima vice intelligitur, & vno actu perficitur, & consummatur, vt tradit Curtius Iunior cons. 132. Sacraiffime. col. 1. laon. cons. 36. In causa mota. col. vlt. vers. Ita responsio lib. 3. Alexand. cons. 16. Breuiter in casu præmisso col. 2. num. 9. lib. 4. Neque obstat ratio dubitandi: quia illa verba, eodem modo, & forma, intelligenda sunt quoad extensionem indulgentiarum, & facultatum, quæ in iubileo Romano conceduntur, vt colligitur manifestè ex illis verbis: Omnes, & singulas prædictas indulgentias, & iubileum ipsius eisdem modo, & forma, quo Romana Ecclesia habet, non vno quoad modum, & formam, quo Iubileus Romanus obtineri debet, præcipue cum ille modus, & forma statutus non fuerit tempore, quo Compoftellanum concessum fuit.

4. Hinc fit, peregrinos, qui ad Ecclesiam D. Iacobi visitandam non potuerunt accedere, eod quod in itinere morte præuenti fuerint, & religiofos perpetuam claustram obseruantes, alijsque in carceribus detentis, nequaquam prædictam indulgentiam obtinere posse: quia non exequuntur opus iniunctum, scilicet, Ecclesiam D. Iacobi deuotam visitationem. Neque obstat, iubileum Romanum prædictis itinerantibus impeditis concedi: quia id fuit fauor specialiter factus à Clemente VI. in Extrauag. Vnigenitus. & ab alijs Pontificibus successioribus, cuius tamen fauoris Alexander III. non meminit, neque eo tempore concessus erat.

5. Secundo fit iubileum Compoftellanum nullas alias gratias, aut facultates, tum Communitarijs, tum singularibus personis concessas suspendere: quia hæc suspensio non fuit annexa Romano iubileo, tempore, quo Compoftellanus concessus fuit, neque Compoftellanus Romano est similis, nisi in indulgentijs, & facultatibus, non in restrictionibus extrinsecis.

6. Tertia an anno iubilij possint, tam incolæ, quam peregrini, visitantes Ecclesiam, sæpius eundem iubileum obtinere, sæpiusque à referuatis absolui? Et dicendum est, posse, sicuti diximus de iubileo Romano: quod satis indicauit Alexander dicens, In diebus, quibus eis placuerit. Cum enim non dixerit, in die, sed in diebus, tacite significat, pluribus diebus obtineri indulgentiam posse, & non vno die tantum, atque adeo sæpius, argum. textus, iniuncta Glossa in leg. Qui plures. ff. de vulgar. leg. Sed restituitur. §. fir. ff. de iudic.

7. Quarta, an potestas eligendi Confessarium, qui à referuatis Pontifici absoluat, extendatur ad absoluedum à referuatis Episcopis, & religionum Prælatijs: Et omnino dicendum est extendi, nisi specialiter postmodum fuerit prohibitio expedita, quia Alexander III. contedit facultatem eligendi Confessarium, qui absoluat etiam in casibus Sedi apostolicæ referuatis: ergo in referuatis alijs Prælatijs à fortiori poterit absolueret. Notanda enim est dictio illa, etiam, quæ implicatur ea est, & ponit casum magis dubitabilem, & minus dubitabilem (supponit, leg. Etiam. Cod. Si tuores, vel curatores. Clement. Religiofus de prescript. Clement. vnic. §. fin. de supplend. neglig. Prælat. & Clement. Nolentis. de heretic. & tradit in dicta Clement. Zabarella & Paril. cons. 36m. 9. & cons. 65. n. 18. & cons. 98. n. 69. volum. 1. & cons. 41. n. 5. volum. 4. Menoch. de recuperand. Possess. n. 256. & alij.

8. Quinta, an hæc potestas absoluedi à Pontifici referuatis, extendatur ad contenta in Bulla Cœnæ? Ratio dubij est: quia huiusmodi casus habent specialem grauitatem, ac referuationem, ob quam dixi tract. de fide non comprehendi sub generali concessione alicui facta absoluedi à referuatis Sedi apostolicæ, sed requiri specialem, & expressam horum casuum mentionem, vt post alios tradunt Suarez de censur. dist. 7. sect. 3. n. 1. Grassi lib. 4. decis. cap. 15. n. 76. & cap. 18. n. 2. Emman.

Rodriguez in addit. ad Bullam Cruciatæ, §. 9. n. 64. Vgolin. de censur. tab. 1. cap. 10. §. 4. n. 7. Flechilla de excommun. 4. p. art. 1. n. 7. ad finem præmi dubij. Et confirmari efficaciter potest ex Extrauag. Esif Dominici. 1. §. 2. de poenitent. & remiss. vbi expressè dicitur, in generali concessione casuum referuatorum non intelligi casus Bullæ Cœnæ.

9. Nihilominus satis probabile existimo, virtute iubilij Compoftellani, & à fortiori Romani à casibus Bullæ Cœnæ absolui posse. Moueor, ex eo, quod casus Bullæ Cœnæ multos post annos à concessione iubilij Compoftellani fuerunt referuati. Nā primus, qui in Vaticana Bibliotheca reperitur hoc casus referuasse, fuit Gregor. XI. qui floruit circa annum 1370. provt refert Tolet. lib. 1. in fr. Sacerdot. c. 18. At iubileum Compoftellanum concessum fuit ab Alexandro III. & à Calixto, & Anastasio, eius antecessoribus. Quod cum ita celeberrimum fuerit, non est præsumendum, Pontificem restrinxisse. Quod maximè verisimile apparet, cum omnis lex, statutu, & dispositio semper futuros casus, & non præteritos respiciat, nisi præteritorum specialem, & expressam faciat mentionem ex textu in leg. Leges, & constitutiones. Cod. de legib. ibi: Leges, & constitutiones futuris certum est dare formam negotijs, nō ad facta præterita reuocari, nisi nominatim, & de præterito tempore, & ab eisdem pendentibus negotijs causa sit. Idem colligitur ex leg. Non dubium. Cod. eod. leg. fin. de testament. cap. 2. & cap. fin. de constitut. & tradit Federicus de Senis con. 235. in princ. n. 2. Ergo constitutio, & lex disiponens, ne sub generali concessione casuum referuatorum comprehendatur casus Bullæ Cœnæ Domini, intelligi non debet de concessione facta in iubileo Compoftellano, quæ prior fuit, cum illius expressam non fecerit mentionem. Deinde, quia clausula generalis non derogat speciali antecedenti, cuius expressa mentio facta non est, argum. textus in c. 2. de holo, & contumacia. cap. Caterim. de rescript. & tradit Cardin. Tufcus litt. P. concl. 751. Denique non est præsumendum, hanc fieri referuationem illis, qui tanto labore Ecclesiam D. Iacobi ex remotissimis Orbis partibus visitandam accedunt. Hinc tamen non inferes, posse virtute huius iubilij absolui: crimen enim hæresis ita est execrabile, vt nunquam fuerit sub generali concessione casuum referuatorum contentum, vt tradunt Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 11. n. 15. Nauarr. cap. 27. num. 275. Gurtier. lib. 1. cap. 13. nu. 26. Garcia de benefic. 11. p. cap. 10. num. 109. Henric. lib. 3. cap. 16. num. 2. & lib. 7. c. 13. n. 1. & lib. 13. cap. 27. num. 5. Suar. de censur. dist. 7. sect. 5. n. 12. & 10. Ratio dubitandi ex probatione conclusionis soluta est. Ad confirmationem respondeo, Paulum II. & Sixtum IV. in prædictis Extrauag. locutos esse de concessionibus à se factis, & in posterum faciendis, vt ex textu constat, ac proinde casus Bullæ Cœnæ in iis non comprehendi. Secus est de concessione facta ante ipsarum Extrauagantium Constitutionem, expeditionemque Bullæ Cœnæ, qualis est concessio iubilij Compoftellani, & Romani.

11. Sexta, an præter potestatem absoluedi à referuatis, concedat hic iubileus potestatem commutandi vota? Videtur enim concedere: siquidem est instar Romani, in quo conceditur potestas vota omnia commutandi, excepto voto Ierosolymitano, castitatis, & religionis, teste Glossa magna in Extrauag. Antiquorum. prope finem. de poenitent. & remissionib. Præterea iubileus ex sua natura continet potestatem commutandi vota, sicut & absoluedi à referuatis, & ratione harum potestatum ab indulgentia distinguitur, vt affirmat Iacob. de Grassi lib. 5. casuum conscient. c. 15. n. 29.

Sed verius oppositum censeo, non posse, inquam, virtute huius iubilij vota illa commutari: nam esto in Romano iubileo post Extrauag. Antiquorum. & Quædammodum. censeatur hæc facultas concessa: tempore autem, quo Compoftellanus concessus fuit, non constat concessam fuisse. Quinimod ex Bulla Alexand. III. non leuiter colligitur, eo tempore nullam potestatem commutandi vota concessam esse Romano iubileo: siquidem affirmans se concedere Compoftellanæ Ecclesiæ omnes, & singulas indulgentias, & iubileum ipsius eodem modo, & forma, quo Romana Ecclesia habet, solum meminit potestatis absoluedi à referuatis, sub qua dispensatio, & commutatio votorum nullo modo continetur. Ergo signum est, hanc potestatem in Romano iubileo tunc non viguisse, sicuti nec vigebar facultas componendi, seu remittendi incerta malè ablata. Quod verò postmodum hæc facultates Romano iubileo additæ fuerint, non probat Compoftellano addi: quia Compoftellanus concessus est ad instar Romani tunc existentis, sed non futuri.



## §. III.

## De Iubileo extraordinario qui pro duabus hebdomadis conceditur.

1. Expenditur modus concessionis huius iubilii.
2. Quae necessaria sint ad illius consecutionem ex communi sententia.
3. Aliqui existimant, se bis obtinere hunc iubileum posse.
4. Sed oppositum verius est.
5. Obtentio iubilii in prima hebdomada, negant plures, se absolui posse in secunda à reuerentiis, si in ea incideris.
6. Satis probabile est oppositum.
7. Tempore iubilii communionem votorum facere potes referuando designationem naturae subrogata in aliud tempus.
8. Si manifestata sunt vota tempore iubilii, dilataque est commutatio ob causam, postmodum fieri potest.
9. Etiam vota oblata transacto tempore iubilii commutari possunt.
10. Potes obtinere absolutionem à reuerentiis, & commutationem votorum, antequam alia opera in iubileo iniuncta exequaris.
11. Obtentio absolutionis à reuerentiis, & votorum commutatione, si non consequeris iubileum, non reuincit.
12. Ei, qui iubileum non fuit consecutus, nequeunt transacto tempore iubilii vota commutari, aut absolutio à reuerentiis concedi.
13. Obtentio absolutionis à reuerentiis, vel votorum commutatione, teneris in probabili sententia sub graui culpa iubileum querere. Sed rectius alij negant.
14. Non est opus, praedictam votorum commutationem in confessione fieri.
15. A reuerentiis commissis fiducia iubilii plures negant te absolui posse.
16. Rectius alij affirmant.
17. Fii Satis opposita rationi.
18. Omnia opera pro consecutione huius iubilii in eadem hebdomada praestari debent ex seciori sententia.
19. Verius est fieri posse in duplici illa hebdomada.
20. Satis est opposita rationi.
21. In quolibet loco obtinere iubileum potes.

1. Post annum Romanum iubilii, post coronationem Pontificis, & praecipue cum Ecclesia aliqua graui persecutione, & labore urgetur, solet Pontifex concedere his, qui processibus ab Ordinario indictis assistunt, vel Ecclesias, seu Ecclesiam ab ipso designatam visitauerint, ibique preces pro exaltatione fidei, & haeresum extirpatione, Principumque Christianorum pace, & concordia deuote fuderint, sacrataque Eucharistiam primo, vel secundo Dominico, vel alio die ex dictis duabus hebdomadis susceperint, eleemosynamque pro cuiusque deuotione tribuerint, ieiunauerintque feria quarta, sexta & sabbatho vnus ex duabus hebdomadis, indulgentiam plenariam, sicuti in anno sancto iubilii Romani. Quod si aliquis ob infirmitatem, vel professionem, aliamve causam non poterit praedicta exequi, conceditur facultas Confessori, omnia, & singula in opus pium, pro se sibi visum fuerit, commutandi. Deinde praedicto Confessori ab Ordinario approbato, delegatur potestas absoluenti ab omnibus censuris, & poenis à iure, vel ab homine in foro conscientiae, & à quibuscumque criminibus quantumuis grauibus, etiam contentis in Bulla Cenae. Denique datur facultas commutandi quaelibet vota, excepto voto castitatis, & Religiosis.

Pro explicacione praedicti iubilii aliqua praemitenda sunt, in quibus Doctores conueniunt: deinde dissoluenta, in quibus dissentiunt.

2. Pro consecutione iubilii tibi necessarium est, processioni assistere, vel Ecclesiam, seu Ecclesias designatas deuote visitare, & preces ibi fundere pro augmento fidei, haeresum extirpatione; Christianorum Principum pace. Deinde debes eleemosynam tribuere, non qualem exigit tuus status, (et si id contemnat; sed tua deuotioni commensurata, vt bene notauit Emmanuel Sa' verbo, *indulgentia*, numer. 4. Item, opus tibi est, feria quarta, sexta, & sabbatho ieiunare, esto adulescens sis, vel senex: quia hoc non est praecipuum, sed consilium pro concessione indulgentiae requisitum, vt bene Layman. *tractat. 7. cap. 8. dub. 8.* Et licet regulariter, cum aliquod opus penale iniungitur, non veniat intelligendum opus penale alias debitum, sed opus penale liberaliter factum: at in huiusmodi iubileo consuetudo obrinat executione operum alias debitorum fieri satis, cum saepe videamus praedictum iubileum publicari in hebdomada quatuor Temporum, & in Quadragesima, & in

hebdomada sancta. Quapropter Communione paschali, & ieiuniis ex praecipuo debitis, & debitis ex voto te posse iubileum obtinere, vt dixit Henriquez *libr. 7. cap. 10. numer. 5.* Paulus Comitoli. *libr. 1. qq. moral. quae. 38.* Laymann. *libr. 5. summ. tractat. 7. cap. 8. in fine, dub. 6. numer. 15.* Praeterea teneris communicare primo Dominico, vel alio die sequentis hebdomadae. Pro quo aduerte, ad communionem suscipiendam, Ecclesiam visitandam, eleemosynamque concedendam, tres dies Dominicos in hoc Iubileo tibi esse concessos: nam, cum praedictus iubiliius spatio duarum hebdomadarum daret, seu, vt aliis placet, quindecim diebus, & Dominica dies non solum sit principium sequentis hebdomadae, sed finis praecedentis; medium enim est inter utramque hebdomadam; sit sane tres Dominicas in praedicto spatio contineri: sicuti aduertetur Henrici. *libr. 7. cap. 10. numer. 8.* Benzoni. *libr. 4. cap. 2. different. 5.* Layman. *tractat. 7. capit. 8. numer. 7. dub. 2.* Quinimo, si diligenter feceris secunda Hebdomada, affirmant Henriquez & Lazmann. te Communionem differre posse in aliquem diem tertiae hebdomadae sequentis: quod mihi nullo modo probatur: quia Gregorius XIII. Paulus V. & Urbanus VIII. in iubilii concessis expressè affirmarunt, Communionem faciendam esse primo die Dominico post iubileum indictum, vel sequenti, vel aliquo die illarum duarum hebdomadarum. Alias hoc iubileum non spatio quindecim dierum, sed plurius durasset: siquidem opus praecipuum, quod praecipuum est, post illos quindecim dies differri potest. Illud vero est certum, necessarium non esse pro iubilii consecutione, Communionem reliquis operibus iniunctis praemittere, sed potes praemittere, vel postponere, prout tibi placuerit. Aliis placet consultius esse praemittere, vt ex fructa per communionem acquisito reliqua opera digniora fiant. Aliis è contrà postponere, vt omnia opera iniuncta ad facram communionem disponant, qua suscepta securius indulgentia obtineatur. Quod ergo curare debes, maxime est, vt liber à peccato mortali te grauatam sentias, expedit ante omnia confessionem praemittere, quam non solum post iubileum indictum, sed ante illius iurisdictionem, vno, vel altero die facere potes iuxta receptam consuetudinem, teste Laymann. *dicto capit. 8. dub. 1. n. 6.* neque postmodum teneris confessionem repetere, si in mortale non incidas. Haec sunt fere ab omnibus recepta, dubia autem sunt.

3. Primò, an non tantum semel, sed bis, obtinere iubileum possis, si opera iniuncta bis praestes, vt verè praestari possunt in qualibet hebdomada? Affirmat Henriquez *libr. 6. de penitentia, cap. 16. numer. 3.* & *libr. 7. de indulgent. cap. 11. in princip. Rodrig. tom. 2. summ. cap. 184. numer. 14.* cò quòd beneficium Principis late sit interpretandum, quantum verba pertinentur: at verba, in quibus praedictus iubilii conceditur, hanc admittunt interpretationem: quippe conceditur indulgentia omnibus illis, qui praecipua opera in vna ex duabus hebdomadis fecerint. Ergo, si reperas ea opera in secunda hebdomada, ea praestas in vna ex duabus hebdomadis. Ergo indulgentiam consequeris.

4. Sed oppositum longe verius existimo. cum Suarez *1. 4. de penitent. disp. 57. sect. 1. numer. 7.* & *10. 2. de relig. lib. 6. de voto, cap. 16. numer. 17.* Nauarr. *not. 31. numer. 36.* Layman. *tract. 7. cap. 8. numer. 8.* Bonacin. *disp. 5. de penitent. quae. 7. p. 5. §. 2. numer. 17.* & *disp. 6. de indulgent. quae. 1. p. 5. numer. 32.* Sanchez. *4. de voto, cap. 54. numer. 30.* Et constat ex his quae diximus punct. 8. *difficilis. 5.* vbi probatum reliquimus, indulgentiam pro limitata, breuique tempore concessam, etiam si indefinitè concedatur, non posse saepius obtineri: quia ea determinatio temporis indicat Pontificis voluntatem eam semel tantum concedendi. Sed praeterea in praesenti, ex forma concessionis efficaciter haec voluntas probatur. Non enim Pontifex inquit: obtineat indulgentiam, qui in vna & altera hebdomada opera iniuncta praestiterit, neque absoluet, & indefinitè dixit: Obtineat indulgentiam in illis duabus hebdomadis, sed expressè ait: *Obtineat indulgentiam, qui prima hebdomada post publicationem, vel in sequenti post illam. quae dilunctiua manifestè indicat, in vna tantum hebdomada obtinere posse. Et paulò inferius inquit, hac vice tantum.* Non igitur pluries, sed semel tantum concedere Indulgentiam intendit. Et ex his soluitur oppositum fundamentum.

5. Secundo dubitabis, an obtento iubileo in prima hebdomada, possis absolui in secunda à casibus reuertatis, si forte in aliquem eo tempore incideris, & commutationem obtinere de voris in ea hebdomada factis: Suarez, Layman, Bonac. *locis allegatis. 28.* quibus adhæret Sanchez *1. 4. de voto, cap. 64. numer. 28.* cò quòd haec potestas absoluenti à reuerentiis, & commutandi vota, concedatur occasione indulgentiae consequenda, qui finis comparatione tui cessat, cum iam indulgentiam obtinueris. Item, tibi iam est finitum tempus iubilii, sed eo finito, vt non potes facultate



tate in eo concessa absolventi à referuatis, & commutandi vota. Ergo, &c.

6. Nihilominus satis probabile existimo, te posse absolui ab eo casu referuato, in quem secunda hebdomada incidit, & communicationem voti eo tempore facti obtinere. Sic docuerunt Henriquez, & Rodrig. *suprà* Reginald. lib. 8. num. 64. Grassis de indulgent. cap. 5. numer. 32. Mouer, non ex eo, quòd indulgentia iterum quaeri non possit, si supponamus, verè acquisitam esse; sed ex eo quòd hæ facultates, etsi occasione indulgentiæ concedantur, pro toto eo tempore, quo iubilium à populo Christiano obtineri potest, videntur concedi. Neque expedit, has facultates astringi ad singularem cuiusque modum procedendi in indulgentiæ consecutione. Alias neque intra eandem hebdomadam post finita opera iniuncta absolui possit ab aliquo casu referuato, si forte in illum incidit; neque voti commutationem obtinere: quod ipse Thom. Sanch. d. cap. 54. num. 28. non cedit: & sicut ipse affirmat, spatium totius hebdomadæ reputandum esse tempus pro concessione iubilii in ordine ad absolutionem à referuatis, & votorum communicationem, tamen si breviori tempore obtentum sit: sic affirmare debet de voto tempore, in quo iubilium obtineri potest. præterea harum facultatum concessio independens est ab indulgentiæ concessione, etsi occasione illius facta fuerit; nam, vt *suprà* diximus punct. 6. esto indulgentiæ concessio nulla sit ob defectum causæ, concessio tamen facultatum valida est. Non ergo ex eo, quòd indulgentiam quaerere nequeas, inferendum est, prædictis facultatibus vt non posse. Deinde quis agnoscat te indulgentiam obtinuisse, tamen si opera præscripta feceris? Certè Deo tantum cognitum est. Præstat ergo, vt eadem opera repetas in sequenti hebdomada: fortè enim consequeris indulgentiam, quam, in prima non obtinueris. Non igitur est credendum, Pontificem hanc repetitionem, vt potè maxime salutarem, impedire velle, tollendo facultates in prædicto iubilio concessas: sed potius præsumi debet, velle fideles ad eam repetitionem mouere, & iurare prædictarum facultatum concessio. Et per hæc satis factum est oppositæ rationi.

7. Tertiò dubitabis, an necessariò votorum commutatio tempore iubilii faciendâ sit; Quia in te mihi certum est, te posse tempore iubilii commutare vota in eam materiam, quam ipse, vel alius vir doctus postmodum iudicauerit expedire: quia eo casu commutatio intra tempus iubilii essentialiter perficitur: quia materia commutationis, saltem in genere subrogatur tamen si in particulari, & expressè non determinetur, quod non videtur necessarium, vt rectè Man. Rodrig. in addit. ad Bullam, §. 9. num. 115. Vivald. *candelabr. Sacrament.* 3. part. cap. 14. num. 40. Grassis 1. p. decis. lib. 4. cap. 35. numer. 47. Sayo in clauis regia. lib. 6. cap. 12. m. 21. in fine, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 4. de voto, cap. 54. num. 31. & num. 32. optime aduertit, reum non esse voti, qui illud violaret, antequam Confessor, -l vir doctus materiam subrogandam determinaret, quia illud votum verè commutatum fuit, & consequenter extinctum.

8. Secundo ferè certum existimo, si consecutus iubilium intra consecutionis tempus à te postulet votorum commutationem illis saltem in genere expressis, vt verò vt rem matutis consideres, & commutationem rectè præstes, differes post iubilii tempus, optime commutationem facere posses: quia ea petitione, & votorum manifestatione causâ inchoata est, & iudiciationem obtinueris, quam potes commodo tempore exercere. Sic docet Suar. t. 2. de relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 16. m. 15. Sanch. lib. 4. de voto, cap. 54. m. 34. & seqq.

9. Quocirca difficultas præcipua est, an, si tempore iubilii oblitus fuisti votorum commutationem petere, posses eo finito postulare? Et quidem si opera iniuncta ad consecutionem iubilii non præstitisti, omnes conveniunt, te non posse commutationem postmodum petere: quia nullum ius acquisisti: quippe prædicta potestas ob iubilium conceditur: & tradi Sanch. lib. 4. de voto, cap. 54. num. 46. & 51. At, si iubilium es consecutus, variant Doctores, Man. Rodrig. tom. 2. sum. cap. 184. num. 15. Suar. lib. 6. de voto, cap. 16. num. 14. Layman. lib. 5. sum. tract. 7. cap. 8. dub. 3. num. 9. in fine, negant, eò quòd, finito iubilio, finiuntur priuilegia, quæ ob illius consecutionem conceduntur. Nihilominus oppositum verius existimo cum Stunica *quest. 5. de voto, num. 39.* Henric. lib. 7. de indulgentiis, cap. 11. num. 4. Emman. Sà verbo, indulgentia, num. 4. Sayo in clauis regia, lib. 6. cap. 11. num. 17. Sanch. lib. 8. de matr. disp. 15. num. 27. & lib. 4. de voto, cap. 54. num. 19. Ratio est: quia Pontifex in hoc iubilio solum operibus iniunctis præscripsit tempus, in quo exequenda erant, vt constat ex illis verbis: *Prima hebdomada, vel altera sequenti à die publicationis.* At facultati absolventi à referuatis, commutandisq; vota nullum tempus præscripsit: sed absolute inquit: *Cōcedimus, vt possint hac vice tantum idoneos Presbyteros approbare, qui eorum confessionibus diligenter auditis, licitò* Ferd. de Castro, Sum. Mor. Pars. 1 V.

valeant illos absoluerè, &c. ac vota commutare, &c. Ergo iubilii consecutione priuilegium obtinueris, tum absolventi à referuatis vsque ad tempus iubilii inclusivè commissis, tum obtinendi commutationem votorum, quæ fuerint vsque ad prædictum tempus emissa: quod finiri non debet, finita indulgentiæ consecutione, cum ab illa sit separabile, & indulgentiæ tempori non alligatum. Et confirmatur: quia in priuilegiis per Cruciatam concessis, ne aliquis, finito anno publicationis eis vteretur, expressit Pontifex finito anno cessare. Ergo, cum id non expresserit in hoc iubilio, censenda sunt post illius tempus perseverare. Præterea, ponamus, te tempore iubilii confessionem non esse, eò quòd inuincibiliter ignorasti, te peccato mortali grauari, præstitisti tamen reliqua opera ad indulgentiam consequendam: postmodum verò recordaris peccatum commississe referuatum: certè illius peccati referuatio sublata non est, cum non sis ab illo neque indirectè absolutus: & tamen inquit Suarez tom. 4. de penitentia, disput. 31. section. 4. num. 20. te posse à quolibet Confessario approbato absolui ob ius per iubilium acquisitum. Ergo idem poteris quoad votorum commutationem, cum eodem tenore utraq; potestas concedatur.

10. Quarto dubitabis, an tibi absolutio à referuatis, & commutatio votorum concedi possit, antequam opera in iubilio præscripta præstes? Et ratio dubij est: quia potes iis impertratis ab indulgentiæ consecutione cessare: quod non videtur leue inconueniens, præcipuè cum hæc concedantur ob indulgentiæ consecutionem. Nihilominus certa sententia est, quam tract. de penit. firmatam reliquimus, te posse ante executionem operum in iubilio præscriptorum, absolutionem à referuatis & commutationem votorum obtinere, si intentionem habeas ea opera exequendi, & iubilium lucrandi: hæc enim intentio, vt bene inquit Suarez tom. 2. de relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 16. num. 6. Sanchez lib. 4. de voto, cap. 54. m. 42. omninò necessaria est: quia hæc conceduntur, tanquam præparatoria ad iubilii consecutionem: & ob illius comparationem: deficiente autem intentione comparandi iubilii, non possunt prædictæ potestates rationem præparationis habere, ac proinde cessare debent.

11. Quintò dubitabis, an stante intentione lucrandi iubilium, & virtute illius, obtenta absolutione à referuatis, & votorum commutatione, si postmodum iubilium non quaeras, reincidentas in eadem peccata, & censuras referuatas, votaque, quibus ligatus eras, reuiuiscant? Et quidem peccata semel remissa nullatenus redire posse est manifestum: quia in peccatis condicionali remissioni locus non est. Censuræ autem etsi redire possint, quando earum absolutio concessa est ad reincidentiam: at, cum in dicto iubilio is modus concedendi absolutionem non exprimitur, sicuti exprimitur in cap. *Eos, qui de sentent. excommunic.* nullum est fundamentum ad asserendum, te postmodum reincidente. Atque ita docent Nauarr. *miscell. de orat.* 9. num. 2. Cordub. *quest.* 21. Henriquez lib. 6. de penitent. cap. 16. num. 6. & lib. 7. de indulgent. cap. 11. num. 4. Suarez tom. 4. de penitent. disp. 11. sect. 4. num. 5. & tom. 5. de censur. disp. 7. sect. 5. à num. 50. Emman. Sà verbo *Absolutio, num. 19.* Sanchez, aliis relatis, lib. 8. de matrimonio disput. 15. num. 20. & lib. 4. de voto, cap. 54. num. 44. Quinimò, si confessionem fecisti intentione quaerendi iubilium, tamen si postmodum voluntatem mutasses, sublata est referuatio omnium peccatorum, si quæ fuerunt in confessione inuincibiliter oblita: quia Sacerdos virtute iubilii absolvens, & vices Pontificis gerens, intendit absoluerè, quantum potest: cum autem possit, quoad peccata oblita, te absoluerè ab illorum referuatione, (hæc enim absolutio non pendet ex absolutione directâ quoad culpam, omninò referuatio sublata est. Atque ita docet Sanchez dicto lib. 8. de matrimon. disput. 15. num. 21. & lib. 4. de voto, cap. 54. num. 45. Si verò nullam confessionem fecisti: quia existimasti nullo mortali grauari peccata referuata permanent: quia referuatio non tollitur ipso facto per iubilium, sed per absolutionem sacramentalem, vt bene aduertit Sanchez loco alleg. Et ex alia parte cum iubilium non obtinueris, non acquisisti ius eligendi Confessorem, qui à prædictis te absoluat, ac proinde teneris ad Superiorem recurrere.

Quoad votorum commutationem ferè idem dicendum est facta absoluta commutatione, vota extincta esse, nec reuiuiscere, tamen si postmodum iubilium non quaeris. Nam, esto, poterit Confessor vota commutare ea conditione, vt commutatio vim obrineat, peccatis his operibus, quæ in iubilio præscribuntur, & non aliter: at ex vi priuilegij non cogitur hoc modo commutationem facere, imò nec expedit: quare, si absolute commutationem feceris, voti extincta sunt, nec reuiuiscunt. Atque ita docent Henriquez lib. 7. de indulgentiis, cap. 11. numer. 4. & lib. 6. de penitentia, cap. 16. num. 6. Emman. Sà verbo *Absolutio, num. 19.* Suarez tom. 2. de religione, tract. de voto, lib. 6. cap. 16. num. 9. Sanchez lib. 8.



de matrimonio. disp. 15. num. 22. lib. 4. de voto. cap. 54. num. 49. & 50.

12. Verum, si tempore iubilii vota commutata non sunt; vel, quia consecutus iubileum commutationem non petiuit; vel, quia tu commutationem in posterum referuisti, intendens rem maturius confiderare: nequaquam potes tranflecto iubileum commutationem facere ei, qui iubileum consecutus non est, etiam si tempore iubilii absolutionem à peccatis impendisses: quia per absolutionem à peccatis vota non extinguuntur, sicuti extinguuntur referuatio, & ex alia parte non lucranti iubileum priuilegium obtinendi votorum commutationem non conceditur: ergo non est, vnde commutationem facere possis. Sic Suar. dicto cap. 16. n. 15. Sanch. dicta disp. 15. de matr. n. 23. & c. 14. n. 51.

13. Sextò dubitabis, an obtinens prædictam à referuatis absolutionem, seu votorum commutationem, tenearis sub graui culpa iubileum querere? Affirmat Suarez tanquam probabile, tom. 4. de poenitent. disp. 31. section. 4. num. 5. & tom. 2. de relig. lib. 6. de voto. cap. 16. num. 11. Dicitur quia videtur hoc beneficium tibi concedi sub eo pacto, & obligatione, vt iubileum consequaris; aliàs vt quid propositum consequendi iubileum requisitum est: Sed rectius Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 43. num. 9. & lib. 8. disp. 15. num. 24. & lib. 4. de voto. cap. 54. n. 54. ab hac obligatione te eximit, eò quòd nullum sit firmum fundamentum illius astruende. Neque enim ex natura rei hæc obligatio consequitur, ob absolutionem, vel commutationem obtentam: sed optime concedi potest ea absolutio, & commutatio habenti propositum querendi iubileum, tamen si pactum, & obligationem de illius consecutione non faciat. Iubileus autem hanc obligationem non inducit. Ergo imponenda non est.

14. Septimò dubitabis an necessariò prædicta votorum commutatio facienda sit in confessione, vel possit fieri extra; Rationem dubitandi præstant illa verba Iubilii: *Postint approbatos Presbyteros eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis, licitò valeant ipsos à quibusvis peccatis, criminibus, censuris, &c. absoluerè, ac vota quacunque ab eis emissa, castitatis, & religionis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare.* Ex quibus verbis videtur necessariò inferri commutationem fieri non posse, quin prius peccata diligenter audiantur, & consequenter quin prius fiat confessio. Ablatiuus namque absolutus conditionem importat, leg. *A restatore. ff. de condit. & demonstrat.* Conditiones autem in specifica forma obseruari debent, leg. *Qui hæredi 44. ff. eodem.* Præterquam quòd clausula absoluta, & conditionans, posita in aliqua dispositione, ad omnia ibi disposita refertur, ex textu in cap. *Secundo requiritur de appellat.*

Sed oppositum verius censo cum Sanchez l. 8. de matrim. disp. 15. in fine, & disp. 16. n. 11. in fine. eò quòd illa verba, *eorum confessionibus diligenter auditis*, ad absolutionem à peccatis, quæ immediatè consequitur, referenda sunt, vt pote, quæ expostulat confessionem diligenter audire, non tamen referenda sunt ad votorum commutationem, quæ confessionem non expostulat: clausula namque conditionalis alicui dispositioni inferra ad omnia refertur, si in omnibus est æqua ratio. Secus verò si diuersa sit, vt bene Menoch. de præsumpt. l. 4. præsumpt. 181. num. 2. tunc enim solam dispositionem sibi immediatam afficit.

15. Octauò dubitabis, an à peccatis commissis spe obtinendi absolutionem virtute iubilii possis absolui; Dubitatio procedit quando iubileus nihil declarat, sicuti fit in hoc iubileo Compostellano, & Romano, & Bulla Cruciatæ. Prima sententia negat pro prædictis peccatis facultatem in iubileo concedi. Sic docuit Couar. l. 2. var. cap. 20. numer. 15. vers. *Vigesimo sexto.* Nauar. §. in *Leuitico. notab. 31. numer. 7.* Ludouic. *Lop. instruit. conscient. 1. part. cap. 27.* Cordub. in *summ. quæst. 22.* Menoch. lib. 5. præsumpt. 10. num. 6. Fundamentum præcipuum sumitur ex eo, quòd non videatur rationabiliter præsumi posse, intentionem Pontificis esse prædictam malitiam, & iniquitatem fouere velle. Foueret autem, si in prædictis iubilis ea esset concessa facultas. Ergo asserendum est, eam non esse concessam, Deinde colligere possemus, hanc non esse intentionem Pontificis: primò argum. textus in leg. 1. §. *Hæc autem actio. ff. si quis, testamento liber esse iussus. ibi: Qui hæc spe audactor factus est.* Et paulò infra: *Spe imminentis libertatis.* & cap. *Illud. §. Licet. de Clerico excommunic. ministr. ibi: illud autem, quòd sub spe veniæ.* Ex quibus colligitur, spe veniæ, aut indulgentiarum, peccantem dignum remissione non esse. Secundo, ex cap. *fin. de immunitat. Ecclesiarum.* vbi cauetur Ecclesiarum immunitate non gaudere, qui sub confidentia gaudendi illa delinquit. Tertio ex Trident. *sessio. 24. de reformat. capit. 5.* statuente, cum qui copulam cum consanguinea habet, spe obtinendi dispensationem, difficilis ei concedi, debereque Pontifici delictum exprimere.

16. Nihilominus verum censo, à virtute supradictorum priuilegiorum absolutionem obtinere posse sic delinquentem,

vti docui Nauar. sibi contrarius l. 5. consilior. titul. de priuileg. consil. 10. numer. 3. & in §. *In leuitico. notab. 34. numer. 6.* allens peccantem spe veniæ consequendæ leuius peccare, quam eum qui nulla spe veniæ concepra delinquit. Idem docet Cordub. sibi contrarius lib. de indulgent. quæst. 34. in fine. & quæst. 37. opposit. 3. Graffius lib. 1. cap. 13. numer. 59. Heuriqu. lib. 7. cap. 9. num. 4. Ludouic. *Vegea in respons. casuum. 2. p. cap. 2.* Rutilius Benzonius de anno iubilii. lib. 5. cap. 15. dub. 24. Man Rodriguez in *explicit. Bulla. §. 9. numer. 99.* Anastas. Germond. l. 2. de sacra immunitat. cap. 6. num. 88. Zenedo *qq. canon. quæst. 25. num. 4.* Sanchez lib. 4. de voto. cap. 54. num. 18. Fundamentum est: quia facultas ex prædictis priuilegiis concessa generalis est, indeterminate, & indistincta, comprehenditque quodlibet peccatum, siue spe absolutionis obtinendæ, siue non fuerit commissum, sicuti comprehendit facultas à Christo data Pontifici remittendi peccata in sacramento Poenitentia; tamen si ex confidentia obtinendi illorum remissionem parata fuerit: & sicuti comprehendit facultas, quam Pontifex Episcopis, & parochis concedit, quinimo & Religiosis absoluedi à peccatis.

17. Neque obstant in contrarium adducta: negamus namque ex prædicta generali facultate fouere malitiam, & iniquitatem delinquentium, aliàs Christus illam foueret, Sacramentum poenitentia; inficiens quòd abfit. Infirmitates enim ciuium tribuendæ non sunt gubernatori reipublicæ; remedia præparata habenti pro illarum medela. Textus autem, qui adducuntur ad probandum non esse intentionem Pontificis facultatem concedere ad illorum peccatorum absolutionem, possunt in contrarium retorqueri: ideo enim in illis specialibus casibus delictum sub spe indulgentia; impedit remissionem: quia sic expressè cauetur. Cùm autem in præsentem non caueatur, non est, vnde facultas generaliter concessa limitanda sit.

18. Nonò dubitabis, an omnia opera pro consecutione iubilii iniuncta, debeas in vna hebdomada exequi, vel possis partim in vna hebdomada, partim in altera præstare? Affirmat in eadem hebdomada omnia opera præstanda esse Heuriqu. lib. 7. cap. 11. nu. 2. Sanctærel. lib. de iubileo. capit. 7. dub. 1. Mouentur, quia liberalis donatio non subsistit, nisi impleatur conditio sub qua fit leg. *Si cum filius. §. Tertio decem. leg. Et generaliter. ff. de donat. leg. in ff. de condit. ionib. ob causam.* & aliis. At Pontifex videtur concedere iubileum sub ea conditione, vt omnia opera præscripta in eadem hebdomada fiat: inquit enim Pontifex: *Qui processioni interfuerint, vel Ecclesiam designatam visitauerint, & feria quarta sexta, aut sabbato alterius ex duabus hebdomadis ieiunauerint, pariterque sua peccata confessi, & à sanctissima Communione refecti fuerint, elemosynamque tribuerint, &c.* In quibus verbis expressè Pontifex postulat omnia ieiunia in altera ex duabus hebdomadis fieri. Ergo contra intentionem Pontificis, & conditionem requisitam procederet, sit ea ieiunia in vtraque hebdomada præstare; sicut si ea præstaret feria secunda, tertia, & quinta. At reliqua opera prædicta ieiunium iniungi debent, vt satis indicat aduerbium illud, *pariter.* Ergo omnia in eadem hebdomada sunt exequenda. Præterea iubileus necessariò obtinendus est in vna ex illis hebdomadis. At obtineti nequit, nisi opera iniuncta executioni mandentur: ergo in vna, & non in duabus hebdomadis debent mandari executioni.

19. Cæterum, etsi prædicta sententia, vt securior, consulenda sit, verius censo, re non esse obligatum omnia opera iniuncta intra eandem hebdomadam exequi. Sic docuit Bonnac. de indulgent. disp. 6. quæst. 1. p. 5. n. 34. Laym. l. 5. *summ. tract. 7. c. 8. dub. 4.* Moueor: quia loquens Pontifex de modo quo Romani obtinere hunc iubileum debent, qui norma est cæteris partibus extra vrbes; nullo modo attingit, vt in eadem hebdomada hæc opera omni præstentur: quinimò permittit ieiunia fieri in eadem hebdomada, in qua Ecclesia visitatur, vel in sequenti. Item permittit Communionem, quæ est opus ex iniunctis præcipuum, in sequentem Dominicam, vel in aliquem diem ex duabus hebdomadis differri, vt constat ex bulla. Ergo. Deinde, qui in qualibet ex duabus hebdomadis opera iniuncta exequitur, verum est in vno ex duabus hebdomadis exequi, tamen non omnia in eadem exequatur. Ergo satisfacti formæ concessionis. Adde, cum hæc interpretatio sit fauorabilis, nec Dei cultum diminuat, & consecutionem iubilii iuuare possit, præsumendum est, Pontificis intentionem illi esse conformem.

20. Neque opposita sententia rationes vrgent. Ad primum dicimus, ex tenore bullæ constare, ieiunia non esse necessariò exequenda in eadem hebdomada, in quo processioni assistis vel Ecclesiam visitas, tametsi omnia illa ieiunia in eadem hebdomada præstari debent ob similitudinem ieiuniorum, quæ in quatuor Temporibus anni præscribuntur. Præterquam quòd non videtur improbabile, te satisfacere posse, etiam in duabus hebdomadis ea compleas. Admissio tamen intra eandem hebdomadam ieiunia exequenda esse, non inde inferatur.



te obligatum esse reliqua opera in eadem hebdomada exequi: nam adverbium illud, *pariter*, annectit ieiuniis reliqua opera iniuncta quoad executionis obligationem: sed non quoad tempus: alias eodem die, quo est ieiunium, oporteret omnia exequi: quod nemo concedet.

Ad secundam admitto, in vna ex illis hebdomadis iubileum obtineri debere; nego tamen, inde inferri, omnia opera ad illius executionem in sola vna hebdomada praestanda necessario esse; sed solum inferitur in ea hebdomada, in qua obtinetur, oportere omnia opera executioni esse mandata: quod fieri optimè potest, tametsi in duabus hebdomadis ea omnia exequaris, modò in secunda hebdomada iubileum obtineas.

12. Decimò dubitabis, an astringaris obtinere iubileum in loco domicilij, Respondeo, in qualibet parte, in qua pu-

blicus fuerit, poteris Ecclesias designatas visitare, reliqua- que opera iniuncta exequi: quia Pontifex loco domicilij concessionem non astringit. Quinimò existimo certum, si in loco domicilij publicatus iubileus fuerit, ibique processionibus assisteris, vel Ecclesias designatas visitaveris; tametsi reliqua opera ieiuniorum, elemosynæ, confessionis, & Communionis alibi praestes, te iubileum esse consecutum: quia in forma concessionis nullo modo cauetur, omnia opera praestanda esse in loco, vbi iubileus fuerit publicatus: neque id expediens esse videbatur, cum nullam specialem dignitatem opera iniuncta acquirant ex eo, quòd loco publicationis fiant, potius quàm in alio, quandoquidem eundem finem retinent confequendi iubileum. Atque ita docent Laym. lib. 5. sum. tract. 7. cap. 8. dub. 5. Bonac. disputat. 6. de indulgentiis, quæst. 1. puncto 5. in fine.

